pro [illegible]

Tabule [illegible]

Rebose [illegible] albi l. rup[er] polibus

cuminum.

Lingue [illegible] ... [illegible] quo infirmi

[illegible] zz.

[illegible] vel [illegible]

Muscate [illegible] ✱

[illegible] Lauri [illegible]

Pingnedo [illegible] ... [illegible]

NOVVM

LVMEN CHYMICVM,

E NATVRÆ

FONTE ET MANVALI EXperientia depromptum, & in duodecim Tractatus diuisum:

Cui accessit,

1. Dialogus Mercurij, Alchymistæ, & naturæ perquàm vtilis.
2. Tyrociniũ Chymicum Ioan. Beguini, Christianiss. Regis Francor. Elemosyn.

COLONIÆ,
Apud Antonium Boëtzerum,
sub signo Rubri Leonis.
ANNO M. DC. XVII.

PRÆFATIO AD LECTOREM.

OMNIBVS CHYMICAE ARTIS INQVISITORIBVS, Genuinis videlicet Hermetis filijs, autor salutem & benedictionem à Deo precatur.

CVM mecum perpenderē, Candide Lector, multos adulterinos libros, falsaque vt vocant Alchymistarum recepta, Impostorū fraude & auaritia cōposita, in quibus ne scintilla quidē veritatis elucet, inter naturalium occultarumq; artiū indagatores versari, quibus & quāplurimi decepti sunt, & adhuc decipiuntur, nihil me vtilius facturum existimaui, quàm si Talentum à Patre luminum mihi concreditum, cùm filijs & hæredibus scientiæ commune haberem, vt & posteri animaduerterent, non solùm prioribus seculis, verùm etiam hoc nostro, singularem illam Dei benedictionem Philosophicam, quibusdā hominibus non fuisse denegatam. Nomen meum certis de causis publicare non consultum visum est, dum non mihi laudem quæro, sed Philosophiæ amatoribus prodesse studeo: Ideò vanam gloriæ cupiditatem relinquo illis, qui malunt VIDERI quàm ESSE. Quæ hic in veritatis Philosophicæ indubitatæ attestationē scribo,

Paucis comprehensa, à Manuali experientia mihi ab Altissimo concessa, deprompta sunt, vt ij, qui in hac laudatissima scientia, prima & realia posuerunt fundamenta, hac cohortatione, pulcherrimarum rerum exercitationem non deserant, & sic à scelerata Fumiuendulorum turba, cui dulce est decipere, tuti sint. Non sunt somnia, vt ignarum vulgus loquitur, nec inania otiosorum hominum commenta, vt stulti, & insipientes, qui artem rident. Veritas est ipsissima Philosophica, quam vt veritatis amator, in veritatis Chymica immeritò proclamata subsidium & confirmationem, occultare, aut silentio inuoluere, non debui, nec potui: quamuis hisce malignis temporibus (vbi virtus & vitium æquiparantur) propter sæculi indignitatē, hominumq; ingratitudinem & infidelitatem (ne quid de Philosophorum maledictionibus loquar) in publicum prodire maximoperè pertimescat. Possem adducere Chymica huius veritatis testes, autores videlicet grauissimos, iuxta vnanimem venerādæ Antiquitatis in tot diuersis Nationibus consensum: At, quæ experimento oculari videntur, probatione non indigent. Viderūt illam sine veste DIANAM, hisce elapsis annis (sciens loquor) multi & supremæ & infimæ sortis homines: & licet reperiantur quidam maleferiati, qui aut ex inuidia, aut malitia, aut metu detectionis imposturarum suarum, clamitent auro suam animam posse

extrahi,

extrahi, & pomposa ac vana ostẽtationis delusione alieno reddi corpori, non sine temporis, laborum, ac nummorum iactura & detrimento: sciant pro certo Hermetis filij, eiusmodi animarum, vt loquuntur, siue ab auro siue à Luna (quacunque via vulgari Alchymistica) extractionem, meram esse persuasionem, quod quidem à multis non creditur, sed tandem per experientiam, unicam & solam veritatis magistram, cum damno verificatur. E contrà, qui (via Philosophica) hoc sine fraude & fuco praestare possit vt vel minimum metallum siue cum lucro, siue sine lucro realiter colore Solis vel Lunae (in omnibus examinibus requisitis permanente) tingat: Illum iure affirmare possum habere fores Naturae apertas ad vlteriora, & altiora arcana inuestiganda, & cum Dei benedictione acquirenda. Porrò praesentes hos Tractatus, mea experientia conscriptos scientiae filijs offero, vt dum omni cogitatione, metuq́ue animi in Naturae occultis operationibus inquirendis, versentur, inde rerum veritatem, ipsamq́ue Naturam perspiciant, & cognoscant: In qua re sola totius sanctissimae Artis Philosophicae perfectio consistit, modò via Regia, quam natura in omnibus operationibus praescribit, progrediantur. Ideò hic Candidum Lectorem admonitum velim, vt scripta mea, non tàm ex verborum cortice, quàm è naturae viribus intelligat, ne postea tempus, laborem, & sumptum frustra expensum deploret; Consideret

Sophorum hanc esse scientiam, non imperitorum: et longè alium esse Philosophorum sensum, quàm vt eum percipiunt, vel Thrasones gloriosi, vel literati irrisores, aut contra conscientiam vitiosi (qui dum virtutibus emergere non possunt, sceleribus & honestorum viro-rum calumnijs id moliuntur) vel imperiti circumforanei, qui suis dealbationibus & rubefactionibus, cum indignissima laudatissimæ scientiæ Chymicæ diffamatione, vniuersum ferè mundum deceperunt. Dei enim donum est, siquidem ad eam, non nisi sola Dei intellectum illuminantis gratia, per patientem & religiosam humilitatem perueniri posßit, aut per oculärem experti præceptoris demonstrationem: Quapropter à Deo alienos, meritò à secretis suis procul abigit. Quod reliquum est, filios artis vnicè rogo, vt meum benè de ipsis merendi studium, animo grato accipiant, & cum OCCVLTVM fecerint MANIFESTVM, atque Dei nutu, constanti labore in optatum portum Philosophicum appulerint, Philosophico more omnes indignos ab hac arte excludunt, amorisque erga proximum egenum in timore Dei, postposita vana ostentatione memores, Optimo ter Maximo pro speciali hoc munere, sine abusu, in tacito & piè gaudenti sinu, sempiternas gratitudinis laudes decantent.

Simplicitas veritatis sigillum.

TRA-

TRACTATVS PRIMVS.

DE NATVRA, QVIDNAM EA *sit, & quales eius debeant esse scrutatores.*

MVLTI Sapientes, doctissimique viri, ante complura sæcula, imò Hermete teste, ante diluuium, multa scripserunt de conficiendo lapide Philosophorum & tot nobis reliquerunt scripta, vt nisi Natura indies operaretur credibilia nobis, vix iam aliquis verum existimaret esse NATVRAM, quia superioribus seculis non tot inuentores rerum fuerunt; nec etiam antecessores nostri, aliud quicquam considerarunt præter Naturam ipsam, & Naturæ possibilitatem: Et quamuis illi in simplici tantum Naturæ viâ manserint, ea tamen inuenerunt, quæ nos nunc in tot rebus versantes, vix nostris ingenijs potuissemus imaginari: Hoc fit, quia nobis Natura, & Generatio rerum in orbe iam vilis simplexq; videtur: Et ideò ingenia nostra non ad res cognitas, sed ad talia, quæ non, vel vix fieri possunt, intendimus: quapropter ita etiam nobis succedit, faciliùs excogitare res subti-

les, & quas ipsi Philosophi nescirent, imaginari possumus, quam ad verum Naturæ cursum, & Philosophorum sensum peruenire: Et sic Natura hominum comparata est, vt ea quæ scit negligat, alia semper quærat, multò magis ingenia humana, quibus Natura subdita est: Exempli gratia, vides quemlibet artificem, cum iam ad summam artificij sui perfectionem peruenerit, alia quærit, aut eo abutitur, aut planè desinit: ita etiam generosa Natura, semper agit, vsque in ipsum Iliadum, hoc est, Terminum vltimum, postea cessat: Nam indita est Naturæ promissio quædam ab initio vt per cursum integrum possit ad meliora venire, & requiem habere plenariam, ad quam omni conatu tendit, & gaudet suo fine, non aliter, vt Formica senio, cui in senectute Natura creat alas. Ita nimirum & nostra ingenia eousq; progressa sunt, præsertim in Arte Philosophica, seu lapidis praxi, vt iam ferè in ipsum Iliadum peruenerimus. Nã Ars Chymiæ eiusmodi subtilitates nunc inuenit, vt vix maiores possint reperiri, & eatenus differt à veterum Philoso-

losophorum Arte, prout Faber Horologiorum, à simplici Fabro ferrario: Et licet ambo tractent ferrum, nihilominus neuter sciret alterius labores, quamuis ambo sint in sua arte Magistri. Si hodie reuiuisceret ipse Philosophorum pater Hermes, & subtilis ingenij Geber cum profundissimo RAYMVNDO LVLLIO, non pro Philosophis, sed potiùs pro discipulis à nostris Chymistis haberentur: Nescirēt tot hodie vsitatas distillationes, tot circulationes, tot calcinationes, & tot alia innumera Artistarum opera, quæ ex illorum scriptis huius seculi homines inuenerunt, & excogitarunt. Vnicum tantùm nobis deest, vt id sciamus, quod ipsi fecerunt, lapidem videlicet Philosophorum, seu Tincturam Physicam. Nos dum illam quærimus, alia inuenimus, & nisi ita vsitata esset procreatio humana, & natura in eo suum ius teneret, iam vix non deuiaremus. Sed vt reuertar ad propositum: Promisi in hoc primo Tractatu Naturam explicare, ne nos à simplici via vera, vana deflectat imaginatio. NATVRAM igitur dico, vnam, veram, simpli-

cem integram, in suo esse, quam Deus antè secula fecit, & spiritum ei inclusit: scito autem naturæ terminum esse Deum, qui & naturæ principium est, siquidem nullum finitur initium nisi in eo, in quo incipit. Dixi vnicam esse tantum, per quam Deus omnia facit, non quod Deus sine illa operari nesciret (siquidem ipse naturam fecit, & omnipotens est) sed ita sibi placuit, & fecit: Res omnes ex illa natura vnica proueniunt, nec est in orbe aliquid extra naturam: Et quamuis aliquando abortus fiant, hoc non est naturæ sed vel artificis, vel loci vitium. Natura hęc diuisa est in loca quatuor, in quibus hæc omnia operatur, quæ apparent, & in vmbra sunt, siquidem res potius in vmbra sunt, quàm vt verè appareant: Mutatur in mare & fœmina, & Mercurio assimilatur, quia se iungit varijs locis & secundùm terræ loca bona vel mala, res producit, licet non sunt loca mala in terra, prout nobis videtur: Qualitates autem sunt tantùm quatuor, & hæ omnibus insunt rebus, neque concordant, semper vna excedit aliam: Natura autem non est visibilis, licèt

licèt visibiliter agat, nam est Spiritus volatilis, qui in corporibus suum agit officium, locum & sedem suam habet in voluntate Diuina, nobis hoc loco ad nil aliud ipsa prodest, nisi vt eius loca sciamus, quæ sint ipsi conuenientiora, vel propinquiora, hoc est, vt sciamus coniungere rem rei, secundùm Naturam, ne misceatur lignum homini, aut Bos vel animal metallo, sed quodlibet agat in suum simile, & tunc etiam Natura suum præstabit officiũ. Locus Naturæ non est alius, quam vt supra dictũ, in velle Dei.

SCRVTATORES Naturæ, tales esse debent, qualis est ipsa Natura, veraces, simplices, patientes, constantes &c. & quod maximum, pij, Deum timentes, proximo non nocentes; Postea diligenter considerent, num propositum suum cum Natura concordet, an sit possibile, ab exemplis discant apparentibus, ex quibus videlicet rebus quid fiat, quomodo, & in quali vase Natura operetur: Nam si tum simpliciter aliquid vis facere sicuti ipsa facit Natura, sequere Naturam, sin vero præstantiùs quid moliris, quàm Natura, id animaduerte, in

quo, & per quid melioratur, & ſemper in ſuo id fiet ſimili: Exempli gratia, ſi cupis metallum (quæ eſt noſtra intentio) vlterius quàm Natura fecit, in virtute promouere, Naturam accipere oportet Metallicam, & hoc in mare & fœmina, aliàs nil efficies. Si enim intendis ex herbis creare metallum, laborabis in vanum, ſicuti etiam ex cane vel beſtia lignum non produces.

TRACTATVS SECVNDVS.

DE OPERATIONE NATVRÆ, *in noſtro propoſito & ſpermate,*

NATVRAM iam dixi eſſe veram, vnicam, vbique apparentem, continuam, quæ cognoſcitur ex rebus productis, lignis videlicet, herbis, &c.

Dixi etiam ſcrutatorem Naturæ eſſe oportere veracem, ſimplicem, patientem, conſtantem, vnicæ ſaltem rei animum applicantem, &c. Nunc de naturæ actu incipiendum: ſicuti Natura in Dei velle eſt, & Deus creauit illam, vel impoſuit omni imaginationi, ita Natura fecit ſibi ſemen, hoc eſt, velle ſuum in Elementis: Illa eſt quidem vna, & tamen

res profert diuerſas, ſed nil operatur ſine ſpermate, quicquid ſperma vult, operatur Natura, nam eſt inſtar Artificis alicuius inſtrumentum. Sperma igitur vniuſcuiuſque rei melius & vtilius eſt Artifici, quam Natura ipſa: Nã è Natura ſine ſpermate efficies tantum, quantum ſine igne, auro vel argento Aurifaber, aut ſine grano & ſemine agricola. Habito ſpermate, Natura præſto aderit, ſiue ad malum, ſiue ad bonum. Operatur illa in ſpermate, vt Deus in libero hominis arbitrio, & hoc eſt magnum miraculum, quod natura obedit ſpermati, non coacta, ſed propria ſponte, ſicuti & Deus omnia concedit quæ Homo vult, non coactus, ſed ex proprio velle: Ideò homini liberum dedit arbitrium, ſiue ad malum, ſiue bonum. Sperma igitur eſt Elixir cuiuſque rei, vel quinta Eſſentia, ſeu perfectiſsima rei decoctio, & digeſtio, vel ſulphuris Balſamum, quod idem eſt, quod Humidum Radicale in Metallis. Magnus quidem hic de hoc ſpermate poſſet inſtitui ſermo, ſed nos tantum ad propoſitum in arte Chymica tendimus: Quatuor ele-

mentà generant ſperma, voluntate Dei & imaginatione Naturæ; quemadmodum enim viri ſperma habet centrum, ſeu vas ſui ſeminis in renibus, ita quatuor Elementa, motu indeſinenti (quodlibet ſecundum ſuam qualitatem) proijciunt ſperma in terræ centrum, vbi digeritur, & per motum emittitur foras: Centrum verò terræ eſt quidam locus vacuus, vbi nil quieſcere poteſt: In Excentrum (vt ita loquar) ſeu centri marginem & circumferentiam, quatuor Elementa ſuas proijciunt qualitates, ſicuti vir ſuum remittit ſemen in vterum mulieris, in quo nil manet de ſemine, ſed poſtquam debitam matrix accepit portionem, ceterum eijcit foras. Similiter in cẽtro terræ accedit, vt vis Magnetica partis alicuius loci rem ad ſe attrahat, conuenientem ſibi ad pariendum aliquid, cęterum eijcitur foras in lapides & alia excrementa: Nam omnes res ex eo fonte habent originem, nec quicquam in toto mundo naſcitur, niſi per hunc fontem: Exempli gratia, Habeatur in aliqua menſa plana vaſculum aquæ, quod locetur in menſæ medium, & cir-

circum circa ponantur res variæ, & colores varij, item ſal, &c. quodque ſeparatim: effundatur poſtea aqua in medium, videbis illam aquam hinc inde diffluere, & dum riuulus vnus attinget colorem rubeum, rubefiet ab illo, ſi ad ſalem, ſalis ſaporem mutuabitur, & ſic de cæteris Aqua enim loca non mutat, ſed locorum diuerſitas mutat aquam. Simili modo è centro terræ ſemen vel ſperma à quatuor Elementis in centrum proiectum ad varia loca tranſit, & ſecundum loci naturam naturatur res; ſi peruenit ad locum terræ & aquæ purum, fit res pura, ſemen & ſperma omium rerum eſt vnicum, & tamen varias res generat, vti è ſequenti apparet exeemplo: Viri ſemen, eſt ſemē nobile, & ſaltem ad generationem hominis eſt creatum; nihilominùs, ſi vir abutatur eo quod eſt in eius libero arbitrio, naſcitur abortus: Nam, ſi contra grauiſsimas Dei inhibitiones vir iniret vaccam, aut aliam beſtiam, facilè cōcipereт beſtia viri ſemen, quia natura non eſt niſi vna, & tunc nō naſceretur Homo ſed beſtia & abortus, ſiquidem locum

non

non inuenit semen sibi competentem. Tali inhumana & detestãda commixtione virorum cum bestijs variæ bestiæ producerentur hominibus similes. Ita enim fit, si sperma intrat centrum, nascitur quod inde nasci debebat, sed cum iam in locum venit, & concipit, non ampliùs mutat formam, verum dum adhuc in centro sperma est, æquè facilè ex illo spermate produci potest arbor, quàm metallum, tàm citò herba quàm lapis, & vnus pretiosior altero, secundùm puritatem loci: sed quomodo Elementa sperma generent, nunc nobis dicendum est, & hoc modo fit: Elementa sunt quatuor, duo sunt grauia, & duo leuia; duo sicca, duo humida, sed vnum maximè siccum, & alterum maximè humidum, sunt masculina & fœminina &c. Horum quodlibet per se est promptissimum ad producendum res sibi similes in sphæra sua, & ita voluit Altissimus. Hæc quatuor non quiescunt, sed semper inuicem agunt, & quodlibet per se emittit suum subtile, ac in cẽtro conueniunt. In centro verò est Archæus, Naturæ seruus, qui ea spermata miscen-

do,

do eijcit foras. Quomodo autem id fiat, in Epilogo horum duodecim tractatuum copiosiùs videre est.

TRACTATVS TERTIVS.

DE VERA PRIMA METALLorum materia.

PRIMA Metallorum materia duplex est, sed vna sine altera metallum non creat: Prima & principalis est: Humidum aëris caliditate mixtum, hanc Philosophi Mercurium nominarunt, qui radijs solis & lunæ gubernatur in mari Philosophico: Secunda est terræ caliditas sicca, quam vocarunt sulphur, sed quia omnes veri Philosophi hanc maximè occultauerunt, nos paulò lucidiùs illam explicabimus, pondus præsertim, quo ignorato, omnia destruuntur, inde fit vt multi ex re bona producant abortus: Sunt enim, qui totum corpus pro materia seu semine, vel spermate sumunt, alij frustum, & hi omnes à recto declinant tramite. Exempli gratia, si quis viri pedem, & mulieris acciperet manum, & vellet ex hac commistione creare hominem, non esset possibile. Est

enim

enim in quodlibet corpore centrum, & locus vel ſeminis, ſeu ſpermatis punctum, & ſemper 8200. pars, etiam in ipſo grano tritici, & hoc aliter eſſe nõ poteſt: Nam non totum granum vel corpus vertitur in ſemen, ſed tantùm eſt in corpore ſcintilla aliqua neceſſaria, quæ à ſuo corpore cuſtoditur, ab omni excesſiuo calore & frigore &c. Si habes aures & ſenſus, hic animaduerte & ſecurus eris, non tantùm ab illis qui locum ſpermatis ignorant, totumq́ue granum in ſemen reducere nituntur, verum etiam ab his omnibus, qui in ſolutione metallorum verſantur vana, & metalla per totum ſoluere volunt, vt poſtea ex illorum commixtione mutua, nouum creent metallum. At hi, ſi naturæ proceſſum conſiderarent, viderent rem in ſe habere longè aliter; Nam nullum metallum eſt tam purum, quod non habeat & ſuas impuritates, vnum tamen altero pauciores vel plures. Sed tu, amice Lector, primum obſeruabis Naturæ punctum, vt ſupra dictum, & ſatis habes, ſed hanc tibi habeto cautelã, ne in metallis vulgi illud quæras punctum, in quibus

non

non est, nam hæc metalla, præsertim aurum vulgi mortua sunt, sed nostra sunt viua, spiritum habentia, quæ omninò sumenda sunt: scito enim metallorum vitam esse ignem, dum adhuc in suis mineris sunt, & mortem etiam ignem, fusionis videlicet. Prima verò metallorum materia est humiditas quædam mixta aëre calido, & est in forma aquæ pinguis, adhærentis vnicuique rei puræ vel impuræ, in vno loco tamen abundantiùs quàm in altero, quod fit, quia terra est in vno loco magis aperta, & porosa, vim attractiuam habens, quam in altero: Prouenit aliquando per se in lucem, induta veste aliqua, præsertim in locis, vbi non habet adhærere alicui, cognoscitur ita, quia res omnis ex tribus principijs est composita: In materia verò metallorum vnica tantum sine coniunctione, excepta veste, vel eius vmbra, scilicet sulphure, &c.

TRACTATVS QVARTVS.

QVOMODO METALLA IN *terræ visceribus generantur.*

PRODVCVNTVR metalla hoc modo, postquam quatuor Elementa virtutes

tutes suas proijciunt in terræ centrum, Archæus distillando sublimat calore motus perpetui in terræ superficiem: Est enim terra porrosa, & ventus stillando per poros terræ resoluitur in aquam, ex qua res nascuntur omnes: sciant ergò doctrinæ filij, sperma metallorum diuersum non esse à spermate rerum omnium, scilicet vaporem humidum; ideò frustrà quærunt Artistæ metallorum reductionem in materiam primam, quæ tantum vapor est. Philosophi non talem intellexerunt materiam primam, sed tantum materiam secundam, sicuti Bernardus Treuisanus optimè disputat, quamuis non ita lucidè, quia de quatuor Elementis loquitur, nihilominus id dicere voluit, & solummodo cum filijs locutus est. Ego verò vt clariùs Theoricam detegerem, omnes hîc præcauere & monere volui, vt tot solutiones, tot circulationes, tot calcinationes ac reiterationes finerent, nam frustra id quæritur in re dura cum per se mollis vbique sit: Non prima, sed secunda tantum quæratur materia, talis nimirum, quæ simul ac concepta est, in

aliam

aliam mutari formam non poteſt. At ſi quæras, quomodo metallum in talem reducatur materiam, ſequor in eo Philoſophorum intentionem: Hoc tantum præ cæteris volo, vt filij artis intelligant ſenſum ſcriptorum, non ſyllabas, & vbi Natura deſinat, in metallicis videlicet coram oculis noſtris perfectis corporibus, ibi arte eſſe incipiendum. Sed vt ad propoſitum reuertar (ſiquidem hic non eſt intentio noſtra de ſolo lapide) agamus nunc de materia metallorum. Paulò antè dixi, Res omnes naſci ex aere liquido vel vapore, quem Elementa perpetuo motu in viſcera terræ ſtillant, hunc poſtquam Naturæ Archæus accepit, per poros ſublimat, & vnicuique loco ſua ſagacitate tribuit (ſicuti in præcedentibus retulimus) & ſic locorum varietate res etiam proueniunt, & naſcuntur variè. Sunt qui opinentur, Saturnum habere aliud ſemen, aurum quoque aliud, & ſic conſequenter metalla reliqua, ſed vana ſunt iſta, vnicum tantum eſt ſemen, idem in Saturno, quod in auro inuenitur, idem in Luna, quod in Marte. Sed locus terræ diuerſus fuit, ſi me rectè intel-

intelligis, quamuis in Luna Natura citiùs, quam in Sole desierit, & sic de alijs, quando enim ex terræ centro sublimatur vapor ille, transit per loca vel sicca vel calida: Si igitur transit vapor per loca calida & pura, vbi pinguedo sulphuris parietibus adhæret, vapor ille, quem Philosophi Mercurium Philosophorũ dixerũt, accommodat se, & iungitur illi pinguedini, quam posteà secum sublimat, & tunc fit vnctuositas relicto nomine vaporis, accepit nomen pinguedinis, quæ postea veniens sublimando ad loca alia, quæ iam vapor antecedens purgauit, vbi est terra subtilis, pura, & humida, implet poros eius, & iungitur illi, & sic fit Sol: si verò pinguedo illa venit ad loca impura, frigida, fit Saturnus, si verò talis terra pura sit & mixta sulphuri, fit Venus, &c. Quò enim magis depuratus locus est, eò pulchriora reddit metalla, nam sciendum est, quòd ille vapor continuè egreditur ex centro ad superficiem, eundo purgat loca: Inde fit quod hodie reperiantur mineræ in locis, vbi antè mille annos nullæ fuerunt, nam progressu suo semper subtiliat crudum

dum impurum, purum ſucceſsiuè ſecum trahens; Et hæc eſt reiteratio, & circulatio Naturæ, tam diu ſublimatur res nouas producendo, donec locus depuratur optimè, & quò magis depuratur, eò etiam nobiliores res producit, hyeme verò cùm aer frigidus terram conſtringit, congelatur etiam ille vnctuoſus vapor, qui poſtea redeunte vere, vnà cum terra & aqua miſcetur, & fit Magneſia trahens ad ſe ſibi ſimilem Mercurium aeris, qui dat vitam omnibus tribus, per radios Solis, Lunæ & ſtellarum, & ſic gramen, flores & ſimilia profert; Natura enim ne momentum temporis otiatur: Metalla verò ſic procreantur, longa deſtillatione purgatur terra, poſtea acceſſu pinguedinis ea generantur; alio modo non proueniunt, ſicuti quorundam Philoſophorum ſcripta ſiniſtrè interpretantium vana opinio eſt.

TRACTATVS QVINTVS.
DE GENERATIONE LAPIDUM *omnis generis.*

LAPIDIS materia eſt eadem, quæ & aliarum rerum, & ſecundum loco-

rum

rum puritatem hoc modo nascuntur. Quando quatuor Elementa suum vaporem stillant in terræ centrum, & Archæus naturæ eundem eijcit & sublimat hic, dum transit per loca, porosque terræ, trahit secum omnem terræ impuritatem vsq; in superficiem, quam postea congelat aër, nam quod aër creat purus, aër congelat crudus, quia aer in aerem habet ingressum, & se iungunt inuicem, nam Natura Natura lætatur, & sic fiunt petræ & montes lapidei, secūdùm magnos & paruos poros, & quò maiores terræ pori, eò etiam meliùs purgatur locus, dum enim per tale respiraculum maior caliditas, & aquæ maior quantitas transit, eò citiùs depuratur terra, & sic postea in eiusmodi locis commodiùs metalla nascuntur, sicuti & ipsa testatur experientia, vt aurum non alibi, nisi in montibus quæratur & reperiatur, quod in planitie, nisi rarò, fieri nequit, nam sæpissimè talia loca humida sunt, non vapore, sed aqua Elementali, quæ ad se trahit vaporē nullū, & ita sese amplectuntur, vt non facilè separentur, postea Sol cæli digerens illam

lam facit argillam pinguem , qua figuli vtuntur ; in locis verò, vbi eſt arena groſſa, & vapor, non habet ſecum pinguedinem vel ſulphur, herbas & gramen in pratis creat. Sunt & alij lapides pretio[redacted]Adamas, Rubinus, Smaragdus, & reliquæ gemmæ, generantur omnes hoc modo, quando vapor Naturæ per ſe ſublimatur, ſine acceſſu pinguedinis ſulphuris, & venit ad locum aquæ puræ ſalis, fiunt Adamantes, & hoc in locis frigidiſsimis, ad quæ non poteſt peruenire pinguedo illa, quia pinguedo non permitteret iſta. Sciendum enim eſt, quod ſpiritus aquæ facillimè ſublimatur calore facili, ſed oleum ſeu pinguedo non niſi magno eleuatur calore, & in loca calida, etiamſi enim ex centro progrediatur, leui congelatur frigore, & ſic ſubſiſtit; vapor verò ad loca debita aſcendit, & cõgelatur in aqua pura in lapides granulatim. Quomodo verò in gemmis calores fiant, ſciendum eſt illud ratione ſulphuris in hunc modum fieri ; ſi ſulphuris pinguedo congelatur motu illo perpetuo, poſtea ſpiritus aquæ tranſeundo digerit & purificat illud vi ſalis,

donec colore digeſto rubeo vel albo coloretur, qui color tendens ad meliora cum illo ſpiritu quia ſubtiliatus eſt, tot reiterationibus deſtillatus eleuatur cum ſpiritu, ſpiritus poſtea habet potentiam intrandi res imperfectas, & ſic introducit colorem, qui poſtea iungitur illi aquæ tunc partim congelatæ, & ſic implet poros eius, & fixatur cum ea fixatione inſeparabili. Congelatur enim omnis aqua calore, ſi eſt ſine ſpiritu, congelatur frigore, ſi habet ſpiritus, ſed qui ſcit congelare aquam calido, & ſpiritum cum ea iungere, certè rem inueniet milleſies precioſiorem auro & omni re. Efficiat igitur, vt ſeparetur ſpiritus ab aqua, vt putreſcat, & appareat granum, poſtea reiectis fæcibus reducat ſpiritum ex alto in aquam, & faciat coniungere ſimul, illa enim coniunctio generabit ramum diſsimilem forma parentibus.

TRACTATVS SEXTVS.
DE SECVNDA MATERIA, ET *putrefactione rerum.*

DIXIMVS de prima materia rerum & quomodo naſcuntur res ex Natura-

tura ſine ſemine, hoc eſt, quomodo Natura ab Elementis accipit materiam, ex qua generat ſemen: Nunc verò de ſemine, & rebus generatis ex ſemine, ſermonem inſtituemus. Omnis res habens ſemen multiplicatur in eo, ſed abſque naturæ auxilio non fit, ſemen enim nihil aliud eſt, quam aër congelatus in aliquo corpore, ſeu vapor humidus, & niſi hic reſoluatur calido etiam vapore, nullius eſt vſus. Sciant ergo inueſtigatores artis, quid ſemen ſit, ne quærant rem, quæ non eſt, & ſciant illud eſſe triplex, quod ex quatuor elementis productum eſt. Primum eſt MINERALE, de quo hoc loco ſermo eſt, alterum VEGETABILE: Tertium ANIMALE.

MINERALE ſemen à Philoſophis cognoſcitur, Vegetabile commune ac vulgare eſt, vt videmus in fructibus: Animale ex imaginatione cognoſcitur. Vegetabile nobis oſtendit, quomodo natura creat illud ex quatuor Elementis, ſciendum enim eſt, quod hyems eſt putrefactionis cauſa ſiquidem ſpiritus vitales in arboribus congelat, & quando hi calore ſolis (in quo eſt vis magnetica

omnis humiditatis attractiua)resoluuntur, tunc calor naturæ per motum excitatus, pellit ad circumferentiam vaporem aquæ subtilem, qui poros arboris aperit, & guttas stillare facit, semper purum ab impuro separando; præcedit tamen interdum purum impurum, purum dat & congelatur in flores, impurum abit in folia, grossum & spissum in corticem, arboris cortex manet fixus, folia cadunt frigore vel calore, quando obstruuntur pori eius, flores congelantur in tali calore, qualis est ipsi calor, & adfert fructum vel semẽ: veluti pomum, in quo sperma est, ex quo non nascitur arbor, sed in illo spermate est semen vel granum intrinsecè, ex quo etiam absq; spermate nascitur arbor, nam multiplicatio fit non in spermate, sed in semine; sic oculariter videmus Naturam creare ex quatuor elementis semen, ne nos in hoc frustrà occuparemur; nam quod creatum est, creatore non indiget. Hoc exempli loco lectorem admonuisse sufficiat, sed ad propositum Minerale redeo. Semen Minerale vel Metallorum creat Natura in visceribus terræ, propterea

rea non creditur tale ſemen eſſe in rerum natura, quia inuiſibile eſt. At non eſt mirum, quod ignari dubitent, ſiquidem id, quod præ oculis eſt, non percipiatur ab illis, multò minùs iſtud, quod inuiſibiliter abſconditum eſt; ſed veriſſimum eſt, quod ſuperius non eſt, niſi vt iſtud quod eſt inferius, & vice verſa, id quod naſcitur ſupra, naſcitur ex eodem fonte, ſicuti illud quod infra in terræ viſceribus. Et quam prærogatiuam vegetabilia præ metallis habent, vt Deus illis ſemen inderet, & hæc immeritò excluderet? Nonne eiuſdem dignitatis metalla apud Deum, cuius & arbores? Hoc pro certò ſtatuatur, nihil ſine ſemine creſcere, vbi enim nullum eſt ſemen, res eſt mortua. Neceſſe eſt ergo, vt vel quatuor elementa creent ſemē metallorum, vel ea producant ſine ſemine: ſi abſque ſemine producuntur, tunc perfecta fieri non poſſunt, ſiquidem res omnis ſine ſemine imperfecta eſt, ratione compoſiti; qui hanc indubitatæ veritati fidem non adhibet, non eſt dignus, vt naturæ ſecreta ſcrutetur, nil enim in orbe naſcitur, quod ſemine deſtituatur. Se-

men metallorum verè & realiter ipsis est inditum, generatio autem eius ita fit. Quatuor elementa in prima operatione naturæ stillant, per Archæum Naturæ, in terræ centrum vap[redacted]quæ ponderosum, qui est metallorum semen, & dicitur Mercurius propter eius fluxibilitatem, & vnnuscuiusque rei coniunctionem, non propter essentiam, assimilatur sulphuri propter internum calorem, & post congelationem est humidum radicale. Et quamuis corpus metallorum ex Mercurio sit procreatum, quod de Mercurio Philosophorum intelligi debet, tamen hi nō sunt audiendi, qui putant Mercurium vulgi semen esse metallorum, & ita corpus loco seminis accipiunt, non considerantes, quod & dictus vulgi Mercurius, suum in se habeat semen. Errores omnium horum, è sequenti patebunt exemplo. Manifestum est, quod homines habeant semen, in quo multiplicantur: Hominis corpus Mercurius est, sed semen occultum est in corpore, & ratione corporis quātitas in pondere exigua, qui igitur hominem generare vult, non Mercurius, qui cor-

pus est, sed semen vapor aquæ congelatur accipiatur: sic in re generatione metallorum sinistre proceditur à vulgaribus Chymicis, corpora metallica soluunt, siue Mercurium, siue aurum, siue Saturnum, siue Lunam, & corrodunt illa aquis fortibus, & alijs rebus heterogeneis, ad veram artem non requisitis, postea coniungunt, nescientes quod ex corpore humano dissecto non generatur homo, quia corruptio corporis, & seminis destructio hoc pacto præcessit: vnaquæque res in mare & fæmina multiplicatur, vt in tractatu de duplici materia mentionem feci. Diuisio sexus nil creat vel producit, sed debita illius coniunctio profert nouam formam: Semina vel spermata ergò, non corpora sunt accipienda: Resp. ergo marem viuum, & fæminam viuam, hos coniunge simul vt inter se imaginentur sperma, ad procreandum suæ Naturæ fructum. Primam enim materiam nemo mortalium credat se facere posse. Prima materia hominis terra est, & nemo hominum ex illa hominem creare potest, solus Deus hoc scit, at è materia secunda, quę iam

creata est, si in locum debitum posita fuerit, facilè Natura operante generabitur id,cuius formæ semen est: Artifex hic nil facit, nisi vt sciat subtile à spisso separare, & in vas imponere debitum. Nam hoc considerandum est, prout res incipitur, ita finitur, ex vno fiunt duo, ex duobus vnum, & non vlterius. Vnus est Deus, ex hoc vno Deo filius est genitus: Vnus dedit duo, duo vnum dederunt Spiritum Sanctum ab vtroque procedentem, sic factus est mundus & sic erit finis eius: Considera priora quatuor puncta exactissimè, habes in illis Patrem, Patrem & Filium, vltimò S. S. habes quatuor Elementa, habes quatuor luminaria, duo cælestia, duo centralia: Nil amplius est, fuit,& erit, quã in hac figura patet, si deberem omnia mysteria hinc elicienda consignare, magnum oriretur volumen: redeo ad propositum, & tibi dico verum, fili mi, non creatur ex vno vnum, quia hoc solius Dei est proprium, sufficiat te posse ex duobus creare vnum tibi vtile, scias ergo sperma multiplicatiuum, esse materiam secundam & non primam. Prima

enim materia rerum non videtur, occulta est in natura vel in Elementis, secunda verò interdum filijs doctrinæ apparet.

T[redacted]ATVS SEPTIMVS. DE VIRTVTE SECVNDAE *materiæ.*

SED vt facilius posſis compræhendere qualis ſit hæc ſecunda materia, virtutes ex quibus illam cognoſces, deſcribam tibi: Ac primum ſcias, quòd Natura in tria Regna diuiſa eſt; Duo ſunt Regna, quorum quodlibet per ſe ſtare poteſt, & ſi alia duo non eſſent, eſt Regnum Minerale, Vegetabile, & Animale. Minerale per ſe ſubſiſtere poteſt, etſi nullus hominum in mundo eſſet, nec arbor, vel herba. Vegetabile itidem, etiamſi nullum metallum nec animal eſſet, per ſe ſtare poteſt, hæc duo ſunt ex vno per vnum creata. Tertium verò ex dictis duobus vitam habet, ſine quibus eſſe non poſſet, & eſt nobilius ac præſtantius, quàm duo prædicta, ſicuti etiam poſtremum eſt inter illa, & dominatur eis, quia ſemper in tertio virtus finitur, & in ſecundo mul-

tiplicatur. Viden in vegetabili Regno: Prima materia eſt Herba vel Arbor, quam tu creare neſcis, Natura hoc ſolummodo facit: In hoc regno ſecunda materia eſt ſemen quod tu vides, in hoc multiplicatur Herba vel Arbor. In Regno animali prima materia eſt Beſtia vel Homo, quem tu creare neſcis, ſed ſecundam materiam, vel ſperma tu noſti, in quo multiplicatur. In Regno minerali metallum tu creare neſcis, & ſi gloriaris vanus es, & mendax, Natura hoc fecit, & quamuis haberes primam materiam ſecundum Philoſophos, illud ſal centrale tamen ſine auro multiplicare impoſſibile tibi foret: ſemen autem metallorum filij tantum doctrinæ nouerunt. In vegetabilibus ſemina apparent extra Renes, digeſtionis eius eſt aer calidus: in animalibus ſemen apparet intus & extra, renes digeſtionis eius ſunt renes viri: Aqua in mineralibus ſemen eſt in centro cordis eorum & vitæ: Renes digeſtionis eius eſt ignis. Vegetabilis ſeminis receptaculum eſt terra: Animalis ſeminis receptaculum eſt matrix fœminæ: Aquæ mine-

ralis

ralis ſeminis receptaculum eſt aer: & ea ſunt ſeminum receptacula, quæ ſunt congelationes corporum: ea eſt digeſtio quæ ſolutio: ea putrefactio quæ deſtructio. Virtus autem cuiuſque ſeminis eſt, vnicuiq; rei in ſuo Regno ſe coniungere, quia ſubtile eſt, & nihil aliud quam aer, qui pinguedine in aqua congelatur: cognoſcitur ita, quia non miſcet ſe extra ſuum Regnum naturaliter alicui rei, non ſoluitur ſed congelatur, quia ſolutione non indiget, ſed congelatione. Neceſſe eſt ergo vt pori corporum aperiantur, vt emittatur ſperma, in cuius centro ſemen iacet, quod aer eſt, illud quando in matricem venit debitam congelatur, & congelat quod reperit purum, vel impurum puro mixtum, quamdiu in corpore ſemen eſt, viuit corpus, quando totum conſumitur corpus moritur, omnia autem corpora poſt remiſsionem ſeminis debilitantur. Experientia etiam teſtatur, homines Veneri nimium indulgentes debiliores fieri, vt & arbores nimios fructus ferentes, fieri poſtea ſteriles. Semen igitur, vt iam multoties expertum

est, res est inuisibilis, sed sperma est visibile, & ferè est anima viuens, non inuenitur in rebus mortuis: Elicitur dupliciter, suauiter & cum violentia: sed quia hic de virtute eius saltem sermo est, dico quod nil sine semine na[redacted]irtute seminis fiunt omnia, & sciant artis filij in arboribus amputatis frustrà semen quæri, quod solummodo in viridibus reperitur.

TRACTATVS OCTAVVS.

DE ARTE, ET QVOMODO PER *artem operatur natura in Semine.*

OMNE semen per se nullius momenti est, si non ponatur, vel ab arte, vel à natura in matricem debitam, & licet semen per se nobilius sit omni creatura, tamen matrix eius est vita, quæ facit putrescere sperma vel granum, & puri puncti congelationem causatur, insuper calore corporis sui illud nutrit & crescere facit, & hoc fit in omnibus supradictis tribus naturæ regnis, & fit naturaliter, per menses, annos & tempora. Sagax verò ars illa est, quæ in regno minerali & vegetabili aliquid abbreuiare

potest,

poteſt, ſed non in animali, in minerali ſolummodo perficit hoc, quod natura non poteſt, propter aërem crudum, qui ſua violentia impleuit poros corporis cuiuſque, non in viſceribus, ſed in ſuperfici[redacted], vt anteà in præcedentibus capitulis dixi, ſed vt faciliùs intelligatur hoc, adhuc adiungere volui, quod elementa certanter inter ſe proijciunt in centrum terræ, quaſi in renes ſemen ſuum, centrum verò per motum emittit illud in matricem, matrices verò ſunt innumerabiles, quot loca tot matrices, vna purior altera, & ſic in infinitum ferè. Scias ergò, quod pura matrix, purum dabit fœtum in ſuo ſimili: Exempli gratia, in animalibus ſunt matrices hominum, vaccarum, equorum, canum, &c. ſic in minerali & vegetabili ſunt metalla, lapides, ſalia, nam ſalia in hiſce duobus regnis ſunt conſideranda, & loca eorum, ſecundum magis vel minus.

TRACTATVS NONVS.

DE COMMIXTIONE METALLorum, vel de eliciendo ſemine Metallico.

DIXIMVS de Natura, de arte, de corpo-

corpore, & de spermate ac semine, iam ad praxin descendamus, quomodo videlicet metalla commisceri debeant, & qualis eorum sit inter se correspondentia. Scias ergo mulierem non discrepare à viro, ex eodem semine, & in vna matrice ambo nascuntur, nihil defuit præter digestionem, & vt matrix purior est in sanguine & sale, sic Luna ex eodem semine cum Sole, & eadem matrice, sed matrix magis habuit de aqua, quàm de sanguine digesto, secundum tempus Lunæ cælestis, vt certò eò facilius tibi imaginari possis, quomodo metalla coeant, vt emittant & recipiant semen, intuere cœlum & planetarum sphæras: vides quod Saturnus supremus sit, cui succedit Iupiter, huic Mars, postea Sol, quem sequitur Venus, hanc Mercurius, vltimo loco Luna statuitur. Considera iam, quòd planetarum virtutes non ascendant, sed descendant, dedit hoc & ipsa experientia, quod ex Venere non fit Mars, sed ex Marte fit Venus, vtpotè vna sphæra inferior, sic etiam Iupiter facilè transmittatur in Mercurium, quia Iupiter secundus à Firmento, & Mercurius

curius ſecundus à terra, Saturnus primus à cœlo, Luna prima à terra, Sol miſcet ſe omnibus, ſed nunquam per inferiores melioratur. Non autem te lateat, magnam eſſe correſpondentiam inter [redacted] & Lunam, quorum in medio Sol conſtitutus eſt, ſicuti inter Iouem & Mercurium, in quorum medio Sol etiam conſiſtit: Eodem planè modo inter Martem & Venerem, qui duo Solem etiam habent intermedium. Nouerunt Chymiſtæ ferrum in cuprum ſeu Venerem ſine Sole mutare: nouerunt etiam è Ioue facere Mercurium: ſunt & aliqui, qui è Saturno conficiunt Lunam, ſed ſi ſcirent his mutationibus ſolis adminiſtrare naturam, certè rem omni theſauro inuenirent pretioſiorem. Propterea dico, non ignorandum eſſe, quæ metalla inuicem ſint coniungenda, & quorum natura naturæ correſpondeat: propterea vnum datur metallum, quod habet potentiam alia conſumendi, eſt enim ferè vt aqua eorum, & ferè mater: vnica tantum res, humidum radicale, Solis videlicet & Lunæ reſiſtit ei, & melioratur per illud: ſed vt

dete-

detegam, Chalybs vocatur, ſi vndecies coit aurum cum eo, emittit ſuum ſemen, & debilitatur ferè ad mortem vſque, concipit Chalybs, & generat filium patre clariorem, poſtea cum ſemen iam nati imponitur in ſuam [redacted], purgat illam & facit milleſies aptiorem ad pariendum optimos fructus. Eſt & alius Chalybs, qui aſsimilatur huic, per ſe à natura creatur, qui ſcit ex radijs ſolis mirabili vi & virtute elicere illud, quod tot homines quæſierunt, & operis noſtri principium eſt.

TRACTATVS DECIMVS.

DE GENERATIONE SVPERnaturali *filij Solis*.

TRACTAVIMVS de rebus, quas Natura creat, & quas Deus creauit, vt ſcrutatores artis eò faciliùs poſsibilitatem naturæ intelligerent, ſed ne diutiùs differam, modum ac artem conficiendi lapidis Philoſophorum aggredior. Lapis Philoſophorum ſeu tinctura, nil aliud eſt quàm Aurum in ſupremum digeſtum, nam Aurum vulgi eſt ſicuti herba ſine ſemine, quando maturescit

rescit producit semen, sic aurum quando maturescit, dat semen seu tincturam. Sed quæret aliquis, quare aurum vel aliud metallum non producat semen? ratio redditur talis, quia non potest esse maturum, propter aëris cruditatem, non habet sufficientem calorem, & contingit in quibusdam locis, vt reperiatur aurum purum, quod natura voluit perficere, sed impedita fuit ab aëre crudo. Exempli gratia, videmus, quod pomorum Arantiorum arbores, in Polonia quidem crescant instar aliarum arborum: In Italia & alibi, vbi est illarum solum natiuum, dant & ferunt fructus, quia sufficientem habent calorem, in his verò frigidioribus locis minimè, vbi enim maturescere deberent, desinunt, quia frigore opprimuntur, & sic nunquam à Natura hisce locis habentur earum fructus, licèt aliquando iuuetur natura suauiter & cum ingenio, tunc ars iam perficit, quod natura non potuisset. Idem planè in metallis accidit. Aurum potest dare fructum & semen, in quo se multiplicat industria sagacis artificis, qui scit naturam promouere, sed si absque

que natura, id velit tentare, errabit: Nam non solùm in hac arte, sed & in omni re, nihil possumus, quàm Naturam iuuare, & hoc non alio medio, quàm igne seu calore, sed cum hoc fieri non posit, siquidem in congelato corpore metallico non appareant spiritus, oportet vt priùs soluatur corpus, & pori eius aperiantur quò natura operari posit, qualis autem illa debeat esse solutio, hîc lectorem admonitum velim, duplicem esse solutionem, licet multæ sint aliæ solutiones, at inutiles, vna tantum est vera naturalis, secunda est violentia, sub qua aliæ comprehenduntur omnes. Naturalis eiusmodi est, vt pori corporis aperiantur in aqua nostra, quo digestum emittatur semen, & matrici suæ imponatur: Aqua verò, nostra aqua est: coelestis, non madefaciens manus, nõ vulgi, sed verè pluuialis: Corpus est aurum, quod semen dat: Luna nostra est, (non argentum vulgi) quæ recipit semen auri. Regitur postea igne nostro continuo, per menses septem, & interdum decem, donec aqua nostra consumat tres, & relinquat vnum, & hoc in duplo, postea nutri-

nutritur lacte terræ, vel pinguedine eius, quæ nascitur in vberibus terræ, & regitur vel conseruatur à putrefactione sale Naturæ, & sic generatur ille infans secundæ generationis. Nunc a Theorica ad praxin accedamus.

TRACTATVS VNDECIMVS.

DE PRAXI, ET CONFECTIONE lapidis seu tincturæ per artem.

PER tot capita sparsa est oratio, de rebus per exempla, vt eò faciliùs intelligatur praxis, quæ fieri debet naturam imitando in hunc modum. ℞. Terræ nostræ per XI. gradus XI. grana, auri nostri & non vulgaris granum I. Lunæ nostræ non vulgaris grana II. sed hoc admonitus sis, ne accipias aurum & argentum vulgi, nam hæc sunt mortua, accipe nostra quæ sunt viua, postea pone in ignem nostrum, & fiet inde liquor siccus, primum resoluetur terra in aquam, quæ Mercurius Philosophorum dicitur, & illa aqua resoluit illa corpora Solis & Lunæ, & consumit ea, vt non remaneat nisi pars decima cum vna parte, & hoc erit humidum radicale metal-

metallicum: Poſtea recipe aquam ſalis nitri de terra noſtra, in qua eſt riuulus & vnda viua, ſi ad genuā foderis foueam, accipe igitur ex illa aquam, ſed claram accipe, huic impone illud humidum radicale, & impone igni putrefa-ctionis & generationis, non tali, vt in prima operatione feciſti, rege omnia magno cum ingenio, donec colores appareant, inſtar caudæ Pauonis, rege digerendo, nec te tædeat, donec ceſſent colores, & vnus per totum appareat color viridis, & ſic de cæteris, & quando videbis in fundo cineres bruni coloris, & aquam ferè rubram, aperito vas, madefacito pennam, inunge ferrum aliquod, ſi tinget habeo in prōptu aquam, de qua poſtea erit ſermo, & infunde tantum eius aquæ, quantum aëris intrauit crudi, iterum coquito priori igne donec iterum tingit. Hucuſque peruenit mea experientia, non plus poſſum, non plus iuueni: Aqua verò illa debet eſſe menſtruum mundi ex ſphæra Lunæ, toties rectificatum, quod poſsit calcinare Solem: Hic tibi volui omnia detegere, etſi ſenſum meum interdum nō ſyllabam intel-

intelliges,cuncta reuelaui, præſertim in opere primo & ſecundo. De igne verò adhuc dicendum reſtat. Primus ignis ſeu primæ operationis eſt ignis vnius gradus continuus,qui materiam circundat;ſecundus eſt ignis naturalis, qui materiam digerit & figit, dico tibi veritatem, quod patefici ignis regimen ,ſi naturam intelligis:de vaſe adhuc reſtat loquendum. Vas naturæ eſſe debet, & ſufficiunt duo; Primi operis vas rotundum fieri debet:In ſecundo verò paulò minus vitrum inſtar phiolæ vel oui,ſed per omnia ſcito,naturæ ignem eſſe vnicum , quicquid operatur diuerſum , locorum diſtantia efficit. Vas item naturæ vnicum , ſed nos propter abbreuiationem binis vtimur , materia vna , ſed ex duabus ſubſtantijs : ſi igitur animum intendis ad res creandas , conſidera primum res creatas : has vtpotè obuerſantes oculis tuis, ſi non potes aſſequi , multò minùs res creandas, quas producere cupis, ſcito enim te nihil creare poſſe , quod ſolius Dei proprium eſt,ſed res occultas in vmbra latentes facere apparentes, & vmbram ab illis tollere,ſed Philoſopho intelli-

intelligenti à Deo per naturam conceſ-ſum eſt. Conſidera obſecro ſimplicem nubis aquam: Ecquis vnquam crederet, illam in ſe continere omnia, quæ mundus habet, lapides duros, ſalia, aërem, terram, ignem, cùm tamen ſimplex per ſe appareat aqua. Quid dicam de terra, quæ in ſe continet aquam, ignem, ſalia, aërem, & per ſe nuda terra videtur? O mirabilem naturam, quæ nouit ex aqua in terra fructus producere mirabiles, & ex aëre illis ſuppeditare vitam: hæc omnia fiunt, & vulgarium hominum oculi iſta non vident, ſed oculi intellectus & imaginationis percipiunt, viſu verò, veriſsimo; oculi enim ſapientum naturam vident aliter, quàm oculi communes. Exempli gratia, oculi vulgi vident Solem eſſe calidum, oculi verò Philoſophorum è contra vident Solem potius eſſe frigidum, ſed motus eius calidos: Actus enim & effectus eius, per diſtantiam locorum deprehenduntur. Ignis Naturæ vnus & idem cum ipſo eſt, ſicuti enim Sol inter ſphæras Planetarum centrum eſt, & ex hoc centro cæli deorſum calorem motu ſuo ſpargit, ſic

in centro terræ Sol terræ eſt, qui motu ſuo perpetuo calorem vel radios ſurſum ad terræ ſuperficiem pellit, is calor intrinſecus multò efficacior eſt hoc igne elementali, ſed temperatur terrena aqua, quæ de die in diem poros terræ penetrat, illamque refrigerat: Sic Solem cæleſtem, & eius calorem temperat aër, qui de die in diem circumuolat orbem, & niſi hoc eſſet, calore tali res omnes conſumerentur, nec quicquam naſceretur. Sicuti autem ignis ille inuiſibilis, ſeu calor centralis omnia conſumeret, ſi non intercederet aqua, ſic ſolis calor omnia deſtrueret, ſine intermediante aëre, ſed quomodo hæc Elementa inter ſe agant, breuibus dicam. In centro terræ eſt Sol centralis, qui motu ſuo, vel ſui firmamenti dat calorem magnum, qui extendit ſe vſque ad terræ ſuperficiem. Ille calor cauſatur aërem hunc in modum: Aëris matrix aqua eſt, quæ parit filios ſuæ naturæ, ſed diſsimiles, & multò ſubtiliores, nam vbi aquæ introitus eſt denegatur aër, intrat, quando poſtea ille calor cētralis, qui perpetuus eſt, agit, facit diſtillare aquā & calefacere, & ſic illa

aqua

aqua vi caloris vertitur in aërem, atque hoc pacto erupit ad superficiem terræ, quia se includi non patitur, vbi posteà refrixit, resoluitur in aquam in appositis locis: interdū etiam fit, vt non solum aër, verum etiam aqua exeat, sicuti apparet, dum nigræ nubes violentia in aërem attolluntur: cuius rei tibi sit hoc exemplum domesticum, facias in olla feruere aquam, videbis igne vehementiori apparebunt nebulæ crassiores: eodem planè modo calor operatur centralis, subtilem aquam in aërem eleuat, quod spissum est ex sale vel pinguedine distribuit terræ, vnde res variæ nascuntur, residuum saxa & petræ fiunt. Posset aliquis obijcere, si ita se res haberet, tunc continuò id fieri deberet, cum tamen sæpè nullus sentiatur ventus. Respondeo, si non violenter in vas distillatorium infunditur aqua, non fit ventus, nam parum aquæ, paruum excitat ventum; vides non semper fieri tonitrua, etiamsi pluuia sit & ventus, sed tantùm, quando vi aëris aqua turbida fertur ad sphæram ignis, nam ignis non patitur aquam. Habes ante oculos exemplum, dum

dum in calidam fornacem effundis aquam frigidam, vnde tonitrua excitantur: sed quare non vniformiter aqua nõ intret in illa loca, & cauitates, ratio est, quod multa sunt eiusmodi vasa & loca, pellit interdum vna concauitas, ventos, aquam, à se ad aliquot dies & menses, donec iterum fiat aquæ repercussio, vt videmus in mari, cuius fluctus aliquando multa milliaria agitantur, antequam repercussionem, vt regrediantur offendant, sed ad rem nostram. Dico ignem vel calorem esse causam motus aeris, & vitam omnium rerum, & terra est horum omnium nutrix, vel receptaculum, sed si non esset aqua, quæ refrigerat terram & aerem nostrum, tunc terra exsiccaretur, propter has duas rationes, nimirum ob motus centralis & solis cœlestis calorem, nihilominùs contingit hoc in aliquibus locis, quando pori terræ obstruuntur, vt humidum penetrare non possit, tunc per correspondentiam solis cœlestis & centralis, quia vim habent inter se magneticam, accenditur terra à Sole, sicque etiam aliquando cadet grauis orbita mundi. Fac igitur, vt

operatio talis in terra nostra fit, vt calor centralis aquam possit, mutare in aêrem, vt in planitiem mundi egrediatur, & residuum, vt dixi, per poros terræ spargat, & tunc in opposito aer vertetur in aquam multo subtiliorem, quàm fuit prima, & hoc sic fiet, si seni nostro aurum & argentum deglutire dabis, vt ipse consumat illa, & tandem ille etiam moriturus comburatur, cineres eius spargantur in aquam, conquito ea donec satis est, & habes medicinam curãdi lepram. Hoc saltem animaduerte, ne frigidum pro calido, vel calidum pro frigido accipias, naturas naturis misce, si aliquid est, quod contrarium naturæ (siquidem vna tibi est necessaria) separa illud, vt natura naturæ similis sit, hoc fac igne non manu, & scito, si non sequeris naturam, vana esse omnia, & hæc tibi dixi per sanctũ Deum quod pater filio debet, qui habet aures audiat, & qui habet sensus animum aduertat.

TRACTATVS DVODECIMVS.
DE LAPIDE ET EIVS virtute.

IN

IN præcedentibus ſufficienter dictum fuit, de productione rerum naturalium, de Elementis, & de materia ſecunda, de corporibus & ſeminibus, de vſu & virtute eorum. Conſcripſi etiam praxin conficiendi lapidem Philoſophorum: de eius verò virtute tantum quantum mihi natura conceſsit, & experientia patefecit, nūc reuelabo. Sed vt prius adhuc ſummatim & breuibus verbis cōprehendam omnium horum tractaturum argumentum, vt Deum timens lector, mentem meam aſsequatur & ſenſum meum, ita ſe res habet.

De veritate artis, ſi quis dubitat, legat copioſa Philoſophorum antiquiſsimorum ratione & Experientia verificata ſcripta, quibus vt fide dignis, in ſua arte fides non deroganda eſt, qui verò illis fidem non adhibet, tunc cōtra principia negantem non eſſe diſputandum nouimus: Surdi enim & multi loqui non poſſunt: Quam enim prærogatiuam in hoc mundo res omnes haberent præ metallis? Cur hæc ſola per denegationē ſeminis immerito à ſūmi creatoris vniuerſali multiplicationis benedictione

excludemus, quam Sacræ litteræ affirmant, omnibus rebus creatis statim à condito mundo inditam & impertitam fuisse? si vero semen habent, quis tam fatuus est, qui non credat in suo semine illa posse multiplicari? In natura sua ars Chymiæ vera est, vera etiam natura, sed rarò verus artifex. Vna natura, ars vna, sed multi artifices. Quod autem natura creat res ex elementis, generat eas velle Dei, ex materia prima, quam solus Deus scit: natura erat res, illasque multiplicat ex secunda materia quam Philosophi sciunt. Nil fit in mundo sine velle Dei & naturæ. Elementum enim quodlibet in sua sphæra est, sed vnum absque altero esse non potest, vnum ex alio viuit, & tamen coniuncta non conueniũt, sed aqua est omnium elementorum dignior, quia mater est omnium rerum, hanc supernatat spiritus ignis, causante igne aqua fit materia prima, creatione videlicet ignis cum aqua, & sic generantur venti vel vapores apti, vt congelentur cum terra per aërem crudum, qui ab initio separatus fuit ab illo, & hoc fit sine cessatione motu perpetuo, quia

ignis

ignis ſiue calor non excitatur aliter niſi motu, quod facilè videre eſt apud fabrum ferrarium ferrum lima comminuentem, quod eatenus motu vehementiori incaleſcit, ac ſi igne incanduiſſet. Motus ergo cauſat calorem, calor mouet aquam, aquę motus cauſat aërem omnium viuentium vitam. Creſcunt igitur res hunc in modum, vt ſuprà dixi, ex aqua videlicet, nam ex illius vapore ſubtiliori, res ſubtiles, leues proueniunt, ex oleo verò eiuſdem, graues, & maioris pretij, ex ſale autem res prioribus longè pulchriores. Ideo ſi velis, vt natura melioretur in actu, ſolue corpus quod vis, & illud quod naturæ acceſsit heterogenium, ſepara, purga, coniunge pura puris, cocta coctis, cruda crudis ſecũdum naturæ pondus non materiæ. Nam ſcito, quod ſal nitri centrale non accipit plus de terra, niſi quantum opus habet, ſiue ſit pura, ſiue impura. Aquæ verò pinguedo aliter ſe habet, nam nunquam habetur pura, ars purgat illam per duplicem calorem, & denuo coniungit illam.

TRACTATVVM HORVM DVOrum Conclusio seu Epilogus.

CONSCRIPSI, amice lector, præcedentes duode[redacted]ctatus, in gratiam filiorum artis, vt antequam manum adhiberent operi, naturæ operationem haberent cognitam, quomodo videlicet illa operando res producat, ne sine clauibus portam ingrederentur, & cribro aquam haurirent, frustrà enim laborat ille, qui sine cognitione naturæ manus ad labores porrigit: in hac sancta & verissima scientia, in nocturnis versatur tenebris, cui sol non lucet, in densa vmbra est cui de nocte non apparet luna. Habet natura lumen proprium, quod nostris oculis non est peruium, vmbra naturæ, oculis nostris corpus est. sed si quem lumen naturæ irradiat, illi confestim nebula de oculis tollitur, & sine impedimento potest conspicere punctum magnetis nostri correspondentis vtrique centro radiorum, solis videlicet & terræ, eo vsque enim naturæ lumen penetrat & interna patefacit, cuius rei tale tibi sit exemplum.

In-

Induatur veste vniformi adolescens duodecim annorum, & puella eiusdem ætatis, si iuxta se locentur, nemo cognoscit quis masculus, quæ fæmella, sit, oculi enim nostri penetrare non possunt, ideò decipit nos noster visus, & falsa pro veris accipit, sed cum vestibus sublatis denudantur, vt ita appareant, quales natura eos formauit, facilè vterque in suo dignoscitur sexu. Simili planè modo noster intellectus facit vmbrę naturæ vmbram: Nam corpus nudum in homine est seminis naturæ vmbra, sicuti igitur vestimentis tegitur corpus humanum, sic etiam tegitur corpore natura humana, quam sibi Deus reseruauit tegendam & detegendam. Possem hic prolixè & Philosophicè differere de hominis dignitate, creatione eius, & generatione. Sed cum eiusmodi non sint huius loci, silentio prætereunda sunt, de vita eius solummodo paucis agam. Creatus homo de terra, ex aere viuit, est enim in aere occultus vitæ cibus, quē nos rorem de nocte, de die aquam vocamus, rarefactā, cuius spiritus inuisibilis congelatus melior est, quam terra vni-

uersa. O sancta & admirabilis Natura, quæ filios doctrinæ errare non permittis, sicuti in vita humana indies demonstras. Porrò in hisce duodecim Tractatibus, tot rationes naturales in medium attuli, vt eo faciliùs cupiens, & Deum timens lector, intelligere posit ea omnia, quæ oculis meis Deo benedicente, vidi manibus feci proprijs sine vlla sophisticationis fraude, sine lumine enim & cognitione naturę impossibile est hãc assequi artem, nisi singulari reuelatione Diuina alicui contingat, vel per secretã amici demonstrationem. Res est vilis & pretiosissima, quam aliquoties descriptam, nunc denuo repeto. ℞. aëris partis X. Auri viui vel lunæ viuæ partem I. hæc omnia impone vasi tuo, coque aërem hunc inprimis vt sit aqua, & postea non aqua, si hoc ignoras, & aërem coquere nescis omni dubio errabis, siquidem hæc est veterum Philosophorum materia, id enim accipere debes, quod est, sed non videtur, donec artifici placeat, est aqua roris nostri, ex qua extrahitur sal petræ Philosophorũ, quo omnes res crescunt, & nutriuntur: Matrix eius

eius eſt centrum ſolis vel lunæ tam cœleſtis quam terreſtris : & vt apertiùs dicam Magnes eſt noſter, quem in præcedentibus chalybem eſſe dixi: Aer generat magnetem, magnes verò generat vel facit apparere aerem noſtrum, ſanctè tibi veritatem hic manifeſtaui, roga Deũ, vt cœpta tua ſecundet. Et ſic hoc loco habebis veriſsimam explicationẽ Hermetis aſſeuerantis, Patrem eſſe ſolem, matrem verò lunam, & quod ventus portauerit illum in ventre ſuo : nimirum ſal Alkali, quod Philoſophi Sal Armoniacum & vegetabile nominarunt, occultatum in ventre magneſiæ. Operatio eius talis eſt, vt ſoluas congelatum aërem, in quo ſolues auri decimam partem, hoc ſigilla, & igne noſtro labora, donec aer vertatur in pulueres, & apparebunt, habito mundi ſale, calores varij. Deſcripſiſſem integrum proceſſum in hiſce Tractatibus, ſed quia ille vnâ cum multiplicatione, in Lullij & aliorum verorum Philoſophorum libris ſufficienter contineatur, propterea ſatis mihi fuit, tantum de materia prima & ſecunda tractare, quod candidè factum eſt,

nec arbitreris vllum mortalium me lu-
culentius illud præstitisse, siquidem id
non è multis libris, sed ex mearum ma-
nuum labore & propria experientia fe-
ci. Si igitur vel non intelligis, vel non
credis veritati, noli meum librum, sed
te ipsum accusare, & crede Deum tibi
hoc secretum nolle reuelare, hunc igi-
tur precibus fatiga, & multoties reite-
ratis lectionibus hunc libellum euolue,
præsertim horum 12. Tractatuum Epi-
logum , considerando semper naturæ
posibilitatem, & elementorum actio-
nes, & quodnam sit in illis præcipuum,
& præsertim in rarefactione aquæ vel
aëris, ita enim creati sunt cœli, & to-
tus mundus : hoc tibi sicut Pater filio
significare volui. Ne mireris, quod tot
Tractatus scripserim non mea causa
factum est, cùm libris non egeam, sed
vt multos qui in vanis rebus laborant,
monerem, ne frustra sumptus expone-
rent: potuissent quidem omnia paucissi-
mis comprehendi lineis, imò verbis,
sed per rationes & exempla volui te ad
naturæ cognitionem deducere, vt antè
omnia scires, quid quærere deberes, an
primam

primam vel ſecundam materiam. Haberes etiam patefactam naturam, eiuſque lumen & vmbrã: noli moueri, quod aliquando contradictoria in meis Tractatibus, more Philoſophorum vſitato tibi occurr[redacted]pus habes illis, ſi intelligis, non reperitur roſa ſine ſpinis. Perpende diligenter quod ſupra dixi, quomodo videlicet quatuor elementa ſtillent in centrum terræ humidum radicale, & quomodo ſol terrenus centralis motu ſuo producat, & ſublimet illud ad terræ ſuperficiem. Dixi etiam ſolem cœleſtem habere correſpondentiam cum ſole centrali: nam ſol cœleſtis & luna peculiarem habent vim & virtutem ſtillandi per radios ſuos in terram: calor enim calori, ſal ſali facile iungitur. Et ſicuti ſol centralis habet ſuum mare, & aquam crudam perceptibilem, ſic ſol cœleſtis habet etiam ſuum mare, & aquam ſubtilem & inperceptibilem: In ſuperficie terræ, radij radijs iunguntur, & producunt flores, & omnia. Propterea quando pluuia fit, accipit ex aere illam vim vitæ, & coniungit illam cum ſale nitro terræ (quia ſal nitri terræ eſt

inſtar calcinati Tartari, ſua ſiccitate aërem ad ſe trahens, qui aër in eo reſoluitur in aquam: Talem vim attrahendi habet ille ſal nitri terræ, qui etiam aër fuit, & eſt coniunctus pinguedini terræ) & quò radij ſolares copioſiùs tunc feriunt, eò maior ſalis nitri quantitas fit, & per conſequens maior frumenti copia creſcit, & hoc de die in diem fit. Tãtùm de correſpondentia rerum inter ſe & efficacia ſolis & lunæ, & ſtellarum innuere volui ignorantibus, nam ſcientes non indigent hac inſtructione: Verſatur ſubiectum noſtrum toti mundo ob oculos & non cognoſcitur. O cœlum noſtrum. O aqua noſtra. O Mercurius noſter. O Sal nitri noſtrum in mari mundi verſans. O vegetabile noſtrum. O ſulphur noſtrum fixum & volatile. O caput mortuum, ſeu fæces maris noſtri. Aqua manus non madefaciens, ſine qua nemo mortalium viuere poteſt, & ſine qua nil noſcitur, & generatur in toto orbe. Et hæc ſunt auiculæ Hermetis epitheta, quæ nunquam quieſcit, viliſſima eſt, nemo ea carere poteſt: & ſic habes rem omni mundo pretioſiorem de-

lectam,

lectam, quàm planè dico nil aliud eſſe
quàm aquam noſtram ponticam, quæ in
ſole & luna congelatur, & extrahitur è
ſole & luna chalybe noſtro, artificio
Philoſophico miris modis, per pruden-
tem artis filium. Conſilium meum non
erat propter rationes in præfatione cō-
memoratas hunc librum publicare at-
tamen vicit me de liberalibus & Philo-
ſophicis ingenijs promerendi cupidi-
tas, vt ijs qui me norunt, animum oſten-
derem bonum, ſimul illis, qui artem cal-
lent, manifeſtarem, me illis partem eſſe
& ſocium, eorumque notitiam appete-
re. Non dubito, multos bonæ conſcien-
tiæ & voluntatis homines illud donum
Dei clanculum poſsidere, hi meo admo-
niti exemplo, & meis periculis cautio-
res & prouidentiores facti, Harpocra-
tis ſibi commendatum habeant ſilen-
tium: quotieſcunque enim me magna-
tibus detegere volui, ſemper aut in dam-
num, aut periculum mihi ceſsit. Hoc
ſcripto me adeptis filijs Hermetis pate-
facio, & ignorantes ac errantes inſtruo,
ac in viam veram reduco. Credant ſciē-
tiæ hæredes, ſe nunquam habituros me.

Ho-

liorem viam, cui insistant, quam quæ ipsis hic demonstrata est, omnia enim apertè dixi: Extractionem saltem nostri salis Armoniaci vel Mercurij Philosophici, & ex aqua nostra pontica, eiusque tantum vsum non ita apertè reuelaui, quia à magistro naturæ non habui vlteriorem loquendi licentiam, & hoc solus Deus reuelare debet, qui nouit hominum corda & animos, quem si diligenter oraueris, per reiteratam huius libri lectionem, poterit tibi intellectum tuum aperire. Vas vt, supra dictum vnicum est à principio vsque ad finem, vel ad summum duo sufficiunt vasa: ignis etiam continuus in vtroque opere, quo nomine legant errantes Tractatum X. & XI. si in tertia materia operatus fueris, nihil efficies: hanc tractant hi, qui extra hoc vnicum sal nostrum, quod Mercurius est, laborant in herbis, animalibus, lapidibus, & mineris, excepto sole & luna nostra quæ obducta est sphæra Saturni. Et qui optatum desiderat finem, sciat cõuersionem elementorum, & luna facere ponderosa, & Spiritus facere non Spiritus, tunc

non laborabit in re extranea: ignis eſt regimen, quicquid fit, igne fit, vt ſufficienter in præcedentibus & hic concluſionis loco ſatis dictum eſt. Vale lector beneuole, & hiſce per experientiam meam verificatis laboribus, diu ad nominis Diuini gloriam, animæ tuæ ſalutem, proximique commodum perfruere.

EIVSDEM AVTHORIS AD Filios veritatis,

ÆNIGMA PHILOSOphicum.

IAm vobis filij ſcientiæ, è ſcaturigine vniuerſalis fontis detexi omnia, vt nil ſit amplius reſiduum. Nam in præcedentibus meis Tractatibus, naturam per exempla ſuffiicienter explicui: Theoricam & praxin quantum fas fuit manifeſtaui. Sed ne quis de Laconiſmo conqueri poſsit, quod aliquid omiſerim, totam artem ænigmaticè adhuc vobis deſcribam, vt videatis, quouſq; Dei ductu peruenerim: Infiniti ſunt libri de hac arte tractantes, vix in vllo reperietis veritatē eatenus vobis patefactam, quod hanc

ob cauſam præſtare volui, quia cum multis Philoſophorum ſcripta ſe benè intelligere putantibus, ſermonem contuli, ſed deprehendi illos eadem ſcripta longè ſubtilius explicare, quàm natura, quæ ſimplex eſt, requirebat, imò omnia mea dicta veridica, ipſis ſemper alta ſapientibus videbantur nimium vilia & incredibilia: Aliquoties accidit, vt quibuſdam de verbo ad verbum artem inſinuarem, ſed nequaquam aſſequi potuerunt, non credentes aquam in mari noſtro eſſe, & tamen Philoſophi videri volebant. Cum ergò verba mea oretenus dicta non potuerunt intelligere, nō timeo (vti alij Philoſophi timuerunt) vt quis tàm facilè concipere poſsit, Donum eſt, Dei dico. Verum quidem eſt, ſi in ſtudio Chymico requireretur ſubtilis ingenij perſpicacitas, & res eiuſmodi eſſet, vt ab oculis vulgi poſſet conſpici, ſatis apta vidi illorum ingenia, ad indaganda talia; ſed vobis dico, vt ſitis ſimplices, & non nimium prudentes, donec arcanum inueneritis, quo habito, neceſſario aderit prudentia, tunc vobis non deerit libros infinitos ſcri-

ſcribendi facilitas quòd longè facilius erit illi;qui in centro eſt, & rem videt, quàm huic,qui in circumferentia ambulat,& nil præter auditum habet.Omniũ rerum materiam ſecundam lucidiſsimè deſcriptam habetis,ſed hãc vobis commendo cautelam, quòd ſi ad arcanum hoc peruenire volueritis,ſcitote, quod inprimis Deus orandus, poſteà proximus amandus ſit : denique nolite vobis res adeò ſubtiles imaginari de quibus natura nil ſcit, ſed manete, manete inquam in via naturę ſimplici,quia in ſimplicitate rem citiùs palpare,quàm eandẽ in ſubtilitate videre poteritis : nolite in lectione meorum ſcriptorum ſemper inhærere ſyllabis, ſed legendo vtique couſiderate naturam, & eiuſdem poſsibilitatem.Antequam verò ad opus vos accingatis, imaginamini diligenter quid quæratur &, quis ſit intentionis veſtræ ſcopus ac finis, nam multò meliùs eſt cerebro & imaginatione prius diſcere quàm manu & ſumptibus. Et hoc vobis dico,quòd opus eſt rem quærere aliquam,quæ occulta eſt, ex qua fit (miro modo) talis humiditas, quæ au-

rum

rum sine violentia seu strepitu soluit, imò ita suauiter & naturaliter, sicuti glacies aquæ calidæ beneficio liquescit si hoc inuenistis, habetis rem, ex qua aurum à natura productum est: & quamuis omnia metalla, & res omnes ex illa ortum habeant, nil tamen ita amicatur ei, sicut aurum, nam alijs rebus adhæret impuritas, auro autem nulla, propterea instar matris est ipsi. Et sic finaliter concludo, si hisce meis scriptis & admonitionibus cauti esse non vultis, habetote me, bene de vobis mereri cupientem excusatum: feci fideliter quantum licuit, sicuti bonæ conscientiæ virum decet, si quæritis quis sim, Cosmopolita sum, si me nostis, & boni ac honesti viri esse desideratis, tacebitis, si me non nostis, nolite de me inquirere, nulli mortalium, quamdiu vixero, plus à me reuelabitur, quam hoc publico scripto factum est. Credite mihi, si non essem huiusmodi status ac conditionis homo, sicut sum, nil mihi solitaria vita foret iucundius, vel cum Diogene sub dolio delitescere: video enim omnia quæ sunt, vanitatem esse, fraudem & auaritiam inualuisse,

vbi omnia venalia sunt, & iniquitatem virtutem superasse, futuræ vitæ meliora præ oculis video, hisce gaudeo. Iam non minor vt antea feci, cur Philosophi habita tali medicina non curarunt abbreuiare dies suos, quia omni Philosopho ita est præ oculis vita sequens, sicuti in speculo apparet tibi tua propria facies. Quod si tibi Deus dabit optatũ finẽ, postea credes mihi, nec te reuelabis mũdo.

SEQVITVR PARBOLA SEV *Ænigma Philosophicum, Coronidis & superadditamenti loco adiunctum.*

EVenit aliquando, cum per tot annos vitæ meæ nauigarem à Polo Arcti. co ad Polum Antracticum, vt singulari Dei nutu ejcerer, ad littus magni cuiusdam maris: & licet maris illius mundi aditus & proprietates optimè cognitas & perspectas haberem; nihilominus inscius fui, an etiam in illis oris generaretur pisciculus ille Echeneis, quem tot magnæ & paruæ conditionis homines hactenus tam sollicitè quæsierunt. Dum autem in littore Melosgnas hinc inde natantes cum nymphis conspicio, fessus etiam à præcedentibus labo-

laboribus, & cogitationbus varijs grauatus, ab aquarum murmure somno corripior, & dum suauiter obdormisco, occurrit mihi in somnis visio mirabilis: Video è mari nostro venerandæ canitiei Senem Neptunum cum tridente egredientem, qui me post amicam salutationem in Insulam deducit amœnissimam. Hæc Insula pulcherrima versus Austrum sita erat, ac rebus omnibus ad hominis necessitatem, & ad eiusdem delitias spectanter refertissima: Virgilij Campus Elysius vix cum illa potuisset comparari. Totum Insulæ littus, vndique virentibus myrtis, cupressis, ac Roremarino cinctum erat. Prata virētia varietatis floribus tecta, iucundissimo aspectu, suauissimè redolebāt, Colles Vineis, Oleis, & Cedris miro modo decorati erant. Nemora Arantiorum & Limoniorum arboribus referta: Viæ publicæ laurorum ac Granatorum arboribus singulari artificio intertextis, vtrinque consitæ, gratissimam peregrinantibus præbebant vmbram, Vt paucis dicam, quicquid in toto mundo est, ibi videbatur: Inter ambulandum monstrabantur

bantur mihi à dicto Neptuno ſub aliqua rupe, latentes duæ illius Inſulæ mineræ, Auri & Chalybis. Non longè illinc deducor ad pratum, in quo peculiaris Hortus varijs & ſpectatu dignisſimis arboribus plantatus erat: Inter complures Arbores autem oſtēdit mihi ſeptem Arbores nominibus inſignitas, ac inter has duas præcipuas, alijs eminentiores obſeruaui, quarum vna ferebat fructum inſtar Solis lucidisſimi & fulgentisſimi, & folia eius erant inſtar Auri. Altera verò, producebat albisſimos Lilijs candidiores fructus, & folia eius erant ſicut argentum finum: Vocabantur autem hæ arbores, à Neptuno vna Solaris arbor, & altera Lunaris. Et quamuis in hac Inſula omnia ad nutum eſſent, vnicum tamen ipſi deerat, aqua non habebatur, niſi magna cum difficultate: Erant quidem multi, qui partim tentabant illuc Aquam Fontis per canales deducere: partim etiam ex varijs rebus eliciebant: ſed fruſtraneus erat attentatus labor, qui illic locorum nullo poterat haberi medio: & ſi habebatur, mutilis tamen fuit & venenoſa, niſi è radijs ſolis

lis vel lunæ, quod pauci præſtare potuerunt, & qui in hoc perficiendo fortunã habuit propitiam, nunquam vltra decẽ partes potuit attrahere. Erat enim eiuſmodi aqua mirabilis, crede mihi, quod oculis meis viderim [redacted]parim aquæ illius niueum candorem, & dum illam aquam contemplarer, valdè miratus ſum: Interim fatigatus illa conſideratione, euanuit coram oculis meis Neptunus, & aparet mihi vir magnus, cuius fronti, nomen Saturni erat inſcriptum. Hic accepto vaſe hauriebat aquæ partes decem, & ſtatim de fructu arboris Solaris accepit & impoſuit, & vidi fructum arboris conſumi & reſolui inſtar galicei in aqua calida: quæſiui ex illo, Domine video rem mirabilem, aquam eſſe ferè ex nihilo; video fructus arboris in illa adeo ſuaui calore conſumi, ad quid iſta? At ille mihi gratiosè reſpondit: Fili mi, verum eſt, quod res hæc eſt mirabilis, ſed ne mireris, ita enim oportet eſſe. Nam hæc aqua eſt aqua vitæ, habens potentiam fructus arboris huius ita meliore, vt poſtea non plantatione aut inſitione, ſed ſolo ſuo odore fa-

re fa-

re faciat ſibi cæteras ſex arbores vniformes. Inſuper hæc Aqua eſt, huic fructui inſtar fœminæ, in re nulla poſſunt arboris huius fructus putrefieri, niſi in hac aqua: Et licet fructus per ſe ſit mirabilis, & res pretioſa: attamen ſi in hac aqua putreſcit, gignit ex hac putrefactione Salamandram in igne perſeuerantem, cuius ſanguis omni Theſauro pretioſior eſt, habens facultatem ſex arbores, quas hic vides, fertiles reddere, illarumque fructus melle dulciores proferre. At ego petij, Domine quomodo ſit iſtud? Dixi tibi, inquit, Arboris Solis fructus eſſe viuos, dulces; at vbi nunc vnus ſaltem ex illo ſaturatur, quando in hac aqua coquitur, poſſunt poſtea mille ex eo ſaturari. Quæſiui porrò Domine coquiturne igne forti, & quandit? At ille; Aqua iſta habet intrinſecum ignem, & ſi iuuatur calore continuo, comburit tres partes corporis ſui cum hoc corpore fructus, & non remanebit, niſi pars minutiſsima, quæ vix imaginari poteſt, ſed in ſumma virtute coquitur ſagaci ingenio Magiſtri, ſeptem menſibus primo, poſtea decem:

Sed intereà apparent res variæ, & ſemper in die quinquageſimo plus vel minus. Adhuc interrogaui: Domine, nonne poteſt etiam in alijs aquis coqui hic fructus, vel additurnè illi aliquid? Reſpondit: non eſt niſi hæc vna Aqua, quæ vtilis eſt in hac regione vel Inſula: Nulla etiam alia Aqua poteſt penetrare poros huius pomi, niſi hæc; & ſcito Arborem Solarem etiam ex hac aqua ortam, quæ ex radijs Solis vel Lunæ vi magnetis extracta eſt. Propterea inter ſe magnam habẽt concordantiam: ſed ſi aliquid peregrini ipſi adderetur, non poſſet id præſtare, quod facit per ſe. Relinquenda igitur per ſe, nihilq́ue ei addatur, niſi hoc pomum: Poſt decoctionem enim eſt fructus immortalis vitam habens & ſanguinem, quia ſanguis omnes arbores ſteriles facit portare fructus eiuſdem. Naturæ cum pomo. Rogaui, vlteriùs: Domine, Hauriturnè Aqua hæc alio modo, vel habiturnè vbiq́ue? Et ille, In omni loco eſt, & nemo ſine ea viuere poteſt, hauritur miris modis, ſed iſta eſt optima, quæ extrahitur vi Chalybis noſtri, qui inuenitur in ventre Arietis.

Dixi;

Dixi; ad quid vtilis? Respondit, ante debitam coctionem est summum venenum; sed post coctionem conuenientē summa est medicina, & dat viginti nouem grana sanguinis; quodlibet autem granum octingentos sexaginta quatuor suppeditabit tibi fructus Arboris Solaris. Quæsiui; nonne vlterius meliorari potest? Teste scriptura Philosophica, ait, primùm ad decem, postea ad centum, deinde ad mille, & decem millia, &c. potest exaltari. Instabam, Domine mi: noueruntnè multi istam aquam, & habetnè nomen proprium? Ille clamabat palam dicens; pauci nouerunt, sed omnes viderunt, & vident & amant. Habet nomina, sed multa & varia. At nomen proprium eius est aqua maris nostri. Aqua vitæ non madefaciens manus. Petij adhuc. Vtunturnè ea alij ad res alias? Vtitur ea ait omnis creatura, sed inuisibiliter. Nasciturnè in ea aliquid? interrogaui: At ille: ex ea fiunt res omnes in mundo, & in ea viuunt: sed in ea propriè nihil est, sed est res, quæ se miscet omni rei. Quæsiui, estne sine hoc Arboris fructu vtilis? Ad hoc dixit, in

hoc tempore nequaquam, ſiquidem nonniſi in ſolo hoc Arboris Solaris fructu melioratur. Incepi adhuc rogare, Domine quæſo nomina mihi illam tam manifeſto nomine, vt nullum poſsim amplius habere dubium. At ille ſublata voce clamauit, vt me è ſomno excitaret, ideo non amplius poteram quærere, nec ille vlterius mihi reſpondere voluit, nec ergo tibi plura dicere poſſum. Contentus eſto hiſce, & crede, quod non eſt poſsibile lucidius loqui. Nam ſi hæc non percipis, nunquam aliorum Philoſophorum libros aſſequeris. Poſt Saturni inſperatum ac ſubitaneum diſceſſum, nouus me ſopor inuaſit, & denuò mihi forma viſibili apparet Neptunus: Præſentem in Hortis Heſperidum congratulantur felicitatem, monſtrando mihi ſpeculum, in quo totam Naturam detectam vidi: Poſt varios vltro citroque commutatos ſermones, gratias ipſi pro exhibitis beneficijs ago, quod ſuo videlicet ductu, non ſolum hunc amœniſsiſimum Hortum ingreſſus fuerim: verum etiam in optatiſsimum Saturni colloquium venerim. Sed quia propter im-

proui-

prouisum Saturni discessum difficultates aliquę quærendę & inuestigandæ adhuc restarent, rogaui enixe, vt hac exoptata occasione mihi scrupulum eximeret. His autem verbis illum compello: Domine, legi libros Philosophorum affirmãtium, generationem omnem fieri per marem & fęminam, & tamen solum fructum arboris solaris vidi in somnijs, Saturnum Mercurio nostro imponere, credo etiam tibi vt Domino Maris huius, quod ista bene scias, responde quæstioni meæ, quæso. At ille, verum est, fili. omnis generatio fit in mare & fæmina, sed propter distractionem trium Naturæ regnorum, alio modo nascitur Animal quadrupes, alio modo vermis. Licet enim vermes habeant oculos, visum, auditum, & reliquos sensus, tamen per putrefactionem producuntur, & eorum locus vel terra, in quà putrefiunt, foemina est: Ita in opere Philosophico mater est huius rei, repetita toties illa Aqua tua, & quicquid ex ea nascitur: more vermium, per putrefactionem nascitur: Ideo Philosophi Phænicem & Salamandram crearunt: Si enim è

duorum corporum conceptione fieret, esset res morti obnoxia: at quia se tantum reuificat, destructo corpore priori, emicat aliud incorruptibile. Siquidem mors rerum nil aliud est, quam separatio vnius ab altero. Et in hac Phœnice ita fit, quòd se vita à corpore corruptibili per se separat. Insuper quæsiui: Domine mi, suntne diuersæ res rerum vel compositio in hoc opere? At ille, Vnica res est, cui non misceatur aliquid aliud, præterquam aqua Philosophica tibi in somno aliquoties manifestata, quæ in decuplo esse debet ad vnam corporis partem: Et firmiter ac indubitatè credas, fili, quæ per somnia in hac insula pro more regionis, tibi à me & à Saturno fuerunt patefacta, nullo modo esse somnia, sed purissimam veritatem, quam experientia vnica rerum Magistra tibi Dei assistentia detegere poterit. Vlterius quærêtem sine responso post valedictionem discedens, me à somno excitatum in desideratam Europæ regionem sistit. Et ita tibi etiam amice Lector, satis hactenus à me dictum sufficiat. Vale.

Soli Triuno Laus & gloria.

LECTORI BENEVOLO.

QVisquis sit Tractatuli huius auctor, amice Lector, quærere desine: quod autem eum conscripserit, hanc habeto causam. Ego quoque quis sim quod scias non opus. Scias autem certò certissimè Auctorem opusculi huius, LAPIDEM PHILOSOPHORVM perfectissimè tenere, fecisse, habere. Cùm autem mutua & syncera nos prosequamur beneuolentia, petij, vt in amoris mei signum tria principia prima discuteret, MERCVRIVM nempe, SVLPHVR & SAL, si in ijs communibus aut alijs LAPIS PHILOSOPHORVM quæri debeat, indicaret, idq; verbis faceret simplicissimis, & stylo tenuissimo. Postquam autem hoc tractatulo raptim conscripto mihi annuisset, certo mihi persuasi, fore vt eo in lucem edito, etsi minus gratum id Auctori futurum verear, (omnis enim ambitio ab illo procul est) optimè mihi velint veræ Philosophiæ amatores, minus enim iacturæ sumptuum & damnorum ab impostoribus, temporis, bonæ famæ & honoris, illo lecto & bene considerato, passurus non dubito. Quod si mundum probum (prophanum enim vulgus Alchymistarum odi & arceo) pro hoc meo beneuolo animo gratum sensero enitar, vt & reliqua duo principia, & alia plura ab eodem Auctore sequantur. Interim hoc fruere & vale.

DIALOGVS MERCVRII, ALCHIMISTÆ ET NATVRÆ.

IN illo tempore conuenerunt Chymiſtæ, & conſilium fecerunt quomodo LAPIDEM PHILOSOPHORVM facere ac præparare deberent, ſic per vota quilibet ſuam opinionem vt diceret conſtituerunt. Et concurſus ille fuit ſub dio in prato quodam die ſerena quadam. Et multi concordarunt Mercurium eſſe illius primam materiam, alij Sulphur, alij alia. Sed de Mercurio maxima illorum fuit opinio, præſertim ex dictis Philoſophorum, quoniã illi pro vera materia prima habent, & etiam pro prima materia Metallorum: clamant enim Philoſophi NOSTER MERCVRIVS. Et cum ita inter ſe certarent laboribus varijs, (quilibet enim illorum expectabat cum deſiderio & lætitia concluſionem) ſurrexit interim tempeſtas maxima cum procellis, nimbis & vento inaudito, qui illam congregationem diſperſit in varias prouincias, quemlibet ſeorſim ſine concluſione. Quilibet tamen illorum impreſſit ſibi qualis debebat eſſe illius diſputationis finis. Cœpit igitur quilibet labores ſuos ſicut prius, vnus in hac, alter in alia re quærentes LAPIDEM PHI-

LOSOPHORVM, & hoc fit vſque ſine ceſſatione. Vnus verò illorum memor diſputationis, quod neceſſario in Mercurio quærendus ſit lapis Philoſophorum, dixit ad ſe: Etiam ſi non eſt facta concluſio: tamen in Mercurio laborabo, faciamque ego concluſionem facto lapide benedicto, erat enim homo, qui ſemper ſecum ſolebat loqui, ſicut ſolent Alchymiſtæ. Cœpit igitur legere libros Philoſophorum, & incidit in Librum Alani, qui de Mercurio tractat, & ſic factus eſt ille Alchymiſta Philoſophus, ſed ſine concluſione. Et accepto Mercurio cœpit laborare, poſuit illum in vitrum & dedit ignem. Mercurius ſicut ſolet euaporauit. Alchymiſta miſer, neſciens naturam, vxorem ſuam verberauit, dicens: nemo huc venire potuit præter te, Tu mihi accepiſti Mercurium ex vitro. Vxor flendo ſe accuſat, dicitque tacite Marito: facies tu merdam ex his. Accepit Alchymiſta Mercurium denuò, & iterum impoſuit vaſi, & ne vxor acciperet, cuſtodiebat illud. Sed Mercurius ſuo modo iterum euaporauit. Alchymiſta recordatus, quod materiam primam lapidis Philoſophorum volatilem eſſe oporteat, gauiſus eſt valdè, ſibi omnino perſuadens non ſe iam poſſe falli, habita hac materia; cœpit iam

audacter Mercurium tractare, didicit postea illum ſublimare, calcinare miris modis, iam ſalibus, iam ſulphure, iam metallis, iam mineris, iam ſanguine, iam crinibus, iam aquis fortibus, iam herbis, vrina aceto, ſed nihil potuit inuenire ad propoſitum ſuum, nihil in orbe intactum reliquit, cum quo non tractaſſet bonum Mercurium. Et cum omninò nihil proficere poſſet, incidit in hoc dictum, (quod in ſterquilinio inuenitur.) Cœpit Mercurium cum ſtercoribus varijs tractare, ſimul & ſeorſim. Et cum ita fatigatus fuiſſet, & plenus cogitationum, obdormiuit. Et in ſomnis apparuit illi viſio: venit ad illum vir ſenex, qui ſalutauit illum & dixit: Amice quid contriſtaris? reſpondit, libenter vellem facere Lapidem Philoſophorum. Tunc ille: Amice ex quibus vis facere Lapidem Philoſophorum? *Alchym.* Ex Mercurio Domine. *Senex.* Ex quali autem Mercurio? *Alch.* Non eſt niſi vnus Mercurius *Sen.* Verum eſt, vnum eſſe Mercurium, ſed variatum varijs locis: vna pars purior altera. *Alch.* O domine. Ego illum ſcio purgare optimè, aceto & ſale, nitro & vitriolo. *Sen.* Dico tibi, hæc purgatio non eſt vera, nec Mercurius ſic verus eſt: alium enim Mercurium habent Viri ſapientes, aliamque eius purgationem, & ſic euanuit. Excitatus è ſomno Alchymiſta,

cogita-

cogitabat qualis esset illa visio, cogitabat qualis esse deberet ille Mercurius Philosophorum: nihil potuit excogitare aliud, quam hunc suum Mercurium vulgi. Sed tamen desiderabat, vt cum illo sene longius loqui potuisset, laborauit tamen assiduè, iam & in stercoribus animantium, & puerorum, postea & in suo proprio stercore laborare cœpit. Et quolibet die in locum vbi visionem vidit, ibat, vt senem illum iterum alloqui posset, interdum simulabat somnum, clausis oculis iacebat, expectando senem. Sed cum venire nollet, putabat illum timere, neque credere quod dormiret, iurabat ergo dicens: Mi Domine Senex, noli timere, certè, ego dormio, respice oculos si non credis. Et miser ille Alchymista, post tot labores & consumptionem bonorum suorum, iam & in delirium cadebat. semper de illo sene cogitando. Et ex illa fortissima imaginatione, apparuit illi phantasma per somnum, in forma illius senis, & dixit illi: Noli disperare amice: Mercurius tuus bonus est & materia tua, sed si tibi non vult obedire, coniures illum, ne sit volatilis. Tamen & serpentes solent coniurari, quare & non Mercurius? & sic discedere voluit senex. At Alchymista ab illo petijt dicens: Domine exspecta; & præ clamore excitatus est miser, tamen non si-

ne magna consolatione. Accepit postea vas plenum Mercurio, & cœpit illum miris modis coniurare sicut illum docuit somnium. Et recordatus est verborū senis, quod dixerit: Serpentes coniurantur, & Mercurius pingitur cum serpentibus, cogitauit, certè sic debet coniurari sicut serpens. Et accepto vase cum Mercurio cœpit dicere: V X V X, O S T A S &c. Et vbi debuit esse nomen serpentis, Mercurij posui, dicens. Et tu Mercurij nequissima bestia, &c. Ad quæ verba Mercurius cœpit ridere, & loqui ad Alchymistam dicens: quid vis quod me turbas mi Domine Alchymista? *Alchym.* Oho, iam me vocas Dominum, quando tibi vnum tango, iam tibi inueni frænum, expecta parum, mox meam cantilenam canes. & cœpit ad illum strenuè loqui, quasi cum ira. Tune es ille Mercurius Philosophorum? *Mercu.* quasi timeret, respondit ego sum, mi Domine, Mercurius. *Alchym.* quare ergo mihi obedire noluisti? nec te fixare potui? *Mercu.* O magnifice Domine, rogo, parce mihi misero; nesciui enim, quod sis tantus Philosophus. *Alchym.* Nonne hoc sentiebas ex meis laboribus, cum ita Philosophicè tecum procedebam? *Merc.* Ita est mi Domine magnifice, attamen occultare me volui, sed video miser, quod me occultare non.

non possum coram Domino meo magnifico. *Alch.* Iam ergò nosti Philosophum? *Merc.* Maximè mi Domine; video dominationem vestram magnificam Philosophum esse excellentissimum. *Alchym.* Lætus in corde suo dicit: certè ego iam inueni, quod quæsiui. Iterum ad Mercurium dicit voce terribili: Nunc Eia, iam ergo esto obediens, alias non bene tecum erit. *Mercu.* Libenter mi Domine si tantum possim: nā iam debilis valdè sum. *Alchym.* Quid iam te excusas? *Merc.* Non mi Domine, sed languesco: *Alchym* Quid tibi nocet? *Merc.* Alchymista mihi nocet. *Alch.* Quid tu adhuc me rides? *Merc.* O Domine non, de Alchymista loquor, tu autem Philosophus es. *Alch.* O bene, bene ita est. Sed quid fecit tibi Alchymista? *Mercu.* O mi Domine, multa mala fecit mihi, nam commiscuit me miserum rebus mihi contrarijs, vnde non possum peruenire ad vires meas, & sum ferè mortuus: cruciatus enim sum vsq; ad mortem ferè. *Alch* O dignus es istis, quia es inobediens. *Merc.* Nunquam inobediens fui alicui Philosopho, sed ex natura mihi est ridere stultos. *Alch.* Et de me quid sentis? Me O Domine, tu es Vir magnus, Philosophus maximus, tua magnitudine excellis Hermetem. *Alch.* Certè, ita est, ego sum vir doctus, sed me nolo laudare ipse, sed

& Vxor mea dixit mihi, quod ego sim valdè doctus Philosophus, illa hoc cognouit in me. *Merc.* Credo facilè: nam tales oportet esse Philosophos, qui præ nimia prudentia & labore insaniant. *Alch.* Age dicas mihi ergo quid faciam tecum? quomodo ex te faciam Lapidem Philosophorum? *Merc.* O mi Domine Philosophe, ego nescio. Tu es Philosophus, ego Seruus Philosophorum, quod illi ex me facere volunt, faciunt, ego illis in quantum possum, obedio. *Alch.* Tu mihi dicere debes, quomodo tecum procedere debeo, & si ex te facere possum Lapidem Philosophicum. *Mercu.* Si scis facies, si verò nescis, nihil facies: à me nihil addisces, si prius nescis mi Domine Philosophe. *Alch.* Tu mecum ita loqueris, sicut cũ aliquo simplici homine, fortasse ignoras, quod ego apud magnos Principes laboraui, & apud illos Philosophus fui. *Merc.* Facilè credo mi Domine, nam ista optimè scio, adhuc sordeo ex huius laboris mixtura. *Alch.* Dic ergò mihi. Tu es Mercurius Philosophorum? *Merc.* Ego sum Mercurius, si autem sum Philosophorum, te scire oportet. *Alch* Dic mihi solummodo, si tu es verus Mercurius, vel si est alius? *Merc.* Ego sum Mercurius, sed est & alius, & sic euanuit. Alchymista clamat, & loquitur, sed nemo respondet illi. Et cogitans inter se dicit: Verè

ego

ego ſum vir optimus, mecum locutus eſt Mercurius, certè me amat, & incœpit iterum laborare diligenter; cœpit Mercurium ſublimare, diſtillare, calcinare, turbiſare, præcipitare, ſoluere miris modis & aquis varijs, ſed vt prius, fruſtra conatus eſt, inaniter conſumit ſumptus & tempus. Quapropter tandem incipit maledicere Mercurio, & Naturam blaſphemare, quod creauerit illum. Natura verò cùm audiuit iſta, vocauit Mercurium ad ſe, & dixit illi: Quid tu feciſti huic? quid mihi maledicit propter te? & blaſphemat me? cur non præſtas quod debes? ſed Mercurius modeſtè ſe excuſat, at Natura iubet vt ſit obediens filius doctrinę quærentibus ſe, Mercurius promiſit ſe id præſtiturum, aitque: Mater natura, ſed ſtultis quis ſatisfaciet? Natura ſubridens diſceſsit: Mercurius verò iratus Alchymiſtæ, etiam ad ſuum locum vadit.

Poſt aliquot dies, incidit in mentem Alchymiſtæ, quod in laboribus ſuis aliquid omiſerit, iterum ad Mercurium recurrit, & illum cum ſtercore porcino commiſcere conſtituit. Sed Mercurius iratus, quod illũ ſiniſtrè coram Natura matre accuſauerat, ad Alchymiſtam ait: Quid tu ſtulte ex me habere vis? cur me accuſaſti? *Alch.* Tune es ille, quem ego deſideraui videre? *Mercu* Ego ſum, ſed nemo me cœcus videre poteſt.

Alch.

Alch. Ego non sum cœcus. *Merc.* Maximè cœcus es, nam te ipsum non vides, quomodo ergo me videre debes? *Alch.* O iam superbus es, ego tecum modestè loquor, & tu ita me contemnis: nescis fortassè, quod ego apud multos Principes laborauerim, & apud illos Philosophus fuerim. *Mer.* Ad Principum aulas stulti concurrunt, illic enim honorantur, & præ cæteris benè habent, fuisti tu etiam apud aulam? *Alch.* O tu es diabolus, & non bonus Mercurius, si tu ita vis loqui cum Philosophis: nam & prius ita me seduxisti. *Merc.* Nostinè tu Philosophos? *Alch.* Ego ipse sum Philosophus. *Merc.* Ecce nobis Philosophus, subridés dicit, & cœpit cum illo vlterius loqui, dicens: Mi Philosophe, dic ergo mihi, quid quæris, & quid vis habere? facere quid cupis? *Alch.* Lapidem Philosophorum. *Merc.* Ex qua igitur materia vis illum facere? *Alchym.* Ex Mercurio nostro. *Merc.* O mi Philosophe, tunc ego discedam, quia non sum vester. *Alch.* O tu es non nisi diabolus, & vis me seducere. *Merc.* Certè mi Philosophe, tu mihi es diabolus, non ego tibi: nam tu pessimè me tractasti, more diabolico. *Alch.* O quid audio. Certè hic est diabolus; nam ego omnia secundum Philosophorum scripta facio, & scio optimè laborare. *Mer.* Optimè scis, nam & magis facis, quam scis & legis: Philosophi e-

nim dixerũt, naturam naturis miſcendam, & extra naturam nihil iubent, tu verò iam mecum omnibus ferè rebus ſordidiſsimis, & ſtercoribus miſces. *Alch.* Ego nihil facio extra naturam: ſed ſemino ſemen in terram ſuam, ſicut Philoſophi dixerunt. *Merc.* Seminas me in ſtercus & tempore meſsis ego euaneſco, tu verò ſtercus metere ſoles. *Alch.* Tamen ſic Philoſophi ſcripſerunt, quod in ſterquilinio materia illorum quæri debeat. *Merc.* Verum eſt quod illi ſcripſerunt, & tu ad Syllabam intelligis, & non eorum ſenſum & mentem. *Alch.* Nunc video quod tu es Mercurius fortaſsis; ſed non vis obedire mihi. Et cœpit illum iterum coniurare, dicens: VX VX. ſed Mercurius ridens reſpondit: nihil proficies, mi Amice. *Alchym.* Non fruſtra de te dicunt, quod mirabilis es, & inconſtans ac volatilis. *Merc.* Tu me dicis eſſe inconſtantem, hoc tibi ſic ſoluo. Conſtans ego ſum, conſtanti artifici; fixus fixo animo: ſed tu, & tui ſimiles inconſtantes ſunt, vagantes ex vna re in aliam, ex vna materia in alteram. *Alchym.* Dic ergo mihi, ſi tu es ille Mercurius de quo Philoſophi ſcripſerunt, quem cum ſulphure & ſale. omnium rerum principium dixerunt, an verò alius quærendus? *Mer.* Certè fructus ab arbore non procul cadit, ſed ego meam gloriam non quæro: ſum.

ro: ſum idem qui fui, ſed anni mei diuerſi ſunt. Ab initio iuuenis fui tam diu, quam diu fui ſolus. Sed iam ſenior ſum, ſed idem qui fui ante. *Alch.* Iam mihi places, quod mihi dicas, quod iam ſenior ſis: ego enim ſemper talem quæſiui, qui ſit maturior & fixior, vt eò faciliùs cum illo conuenire poſsim. *Merc.* Fruſtra me viſitas ſenem, qui me non noſti in iuuentute. *Alch.* Nonne ego te noui, qui te ſemper miris modis tractaui, vt tu ipſe dixiſti, & adhuc non deſinã, donec perficiam Lapidem Philoſophorum. *Merc.* O me miſerum, quid ſim facturus? qui fortaſſe iterũ cum ſtercoribus miſcebor, iam crucior denuo. O me miſerum; rogo te ô Domine Philoſophe, noli me tantum porcino ſtercore miſcere, nam alias iã peribo, fœtore enim hòc cogor meam mutare formam. Et quid vis vt amplius faciã? nonne ſatis crucior à te? nonne obedio tibi? nonne miſceo me rebus quibus tu vis? nonne ſum ſublimis? nonne præcipitatus? nonne Thurbit? nonne Amalgama? nonne maſca? quid iam magis à me cupis? meum corpus iam ita flagellatum eſt, iam ſputatum vt & lapis mei poſsit miſereri: ex me habes lac, ex me carnem, ex me ſanguinem, ex me butyrum, ex me oleum, ex me aquam, & quod vnquam metallorum aut mineralium id præſtare poſsit, quod ego

ſolus?

ſolus? & non eſt miſericordia mecum. O me miſerum. *Alch.* Oho, non nocet tibi, tu es nequam, licet te quouis modo inuertas, tu non mutas te, niſi formam tibi fingis, iterum ſemper redis in primam ſpeciem tuam. *Merc.* Ego facio ſicut tu vis, ſi vis vt ſim corpus, corpus ſum; ſi vis vt ſim puluis, puluis ſum. Neſcio quomodo me magis humiliare debeam, quam cum puluis & vmbra fio. *Alch.* Dic ergo mihi, quis tu es in centro tuo? & non te plus cruciabo. *Merc.* Iam cogor tecum ex fundamento loqui. Si vis potes me intelligere, formam meam vides, de hoc tibi non eſt opus. Sed quod de centro meo interrogas, centrum meum eſt cor omnium fixiſsimum, immortale, & penetrans, in illo eſt requies Domini mei, ego verò ipſe ſum via, & curſor, peregrinus, & domeſticus, fideliſsimus ſum meis ſocijs, non relinquo comitantes me, cum illis maneo, cum illis pereo. Sum corpus immortale: morior quidem cum occidor, ſed ad iudicium coram ſagace iudice reſurgo. *Alch.* Ergo tu es lapis Philoſophorum? *Merc.* Mater mea talis eſt, ex illa naſcitur artificialiter vnum aliquid, frater verò meus qui in arce habitat, in velle ſuo habet, quod Philoſophus vult. *Alch.* Es ne tu ſenex? *Mercu.* Mater mea genuit me, ſed ego ſenior ſum matre. *Alch.* Quis diabolus te poteſt intel-

ligere

ligere? cùm mihi ad propoſitum non reſpondeas? ſemper parabolas dicis. Dic mihi, ſi tu es fontina, de qua Bernardus Comes Treuiſanus ſcripſit? *Merc.* Fontina nō ſum, ſed aqua ſum, fontina me circumdedit. *Alch.* Soluiturnè aurum in te cum aqua ſis? *Merc.* Quicquid mecum eſt amo, ſicut amicum; & quicquid mecum naſcitur, huic nutrimentum do; & quicquid nudum eſt, alis meis tego. *Alch.* Video ego, quod tecum non eſt loqui, ego alia quæro, tu alia dicis, ſi non vis bene reſpondere, certè iam tecum eo ad labores. *Merc.* O Domine, rogo te eſto mihi miſericors, iam libenter dicam quod ſcio. *Alch.* Dic ergo mihi, ſi tu times ignem? *Merc.* Ego ipſe ignis ſum. *Alch.* Et quare igitur ab igne fugis? *Merc.* Spiritus meus cum ſpiritu ignis amat ſe, & quo poteſt comitatur vnus alterum. *Alch.* Et quorſum ſoles ire, quando cum igne aſcendis? *Merc.* Scito, omnis peregrinus ſemper in patriam ſuam tendit, & quando illuc vnde egreſſus eſt, venit, requieſcit, & ſemper redit ſapientior, quam exit. *Alch.* Reuerteriſnè iterum aliquando? *Merc.* Reuertor, ſed in alia forma. *Alch.* Nō intelligo quid hoc eſt, neque de igne quidquam. *Merc.* Si quis ignē cordis mei vouit, vidi ignem (calorem debitum) cibum meum eſſe: & quo diutius ignem ſpiritus cordis mei comedit, pin-

guior

guior erit, cuius mors poſtea vita omnium rerum eſt, quæcunque in hoc regno ſunt, vbi ego ſum. *Alch.* Eſne tu magnus? *Mercu.* Habes me in exemplum, ex mille guttulis vnus ero, ex vno multa millia guttarum do, & ſicut corpus meum eſt in oculis tuis. Si mecum ludere ſcis, potes me diuidere in tantum in quantum vis, iterum vnus ero: quid igitur ſpiritus (cor meum) intrinſecè, qui ſemper ex minutiſsima parte multa millia profert? *Alch.* Et quo modo igitur tecum facere oportet, vt ita ſis? *Mercu.* Ignis ſum intus, ignis eſt mihi cibus, vita verò ignis aer eſt ſine aere ignis extinguitur: ignis præualet aeri, propterea non quieſco, nec me crudus poteſt conſtringere aer, adde aerem aeri, vt ſint ambo vnum, & teneant pondus, cum igne calido coniunge, temporibus da ad cuſtodiendum. *Alch.* Quid poſtea erit? *Merc.* Subtrahetur ſuperfluum, reſiduum combures igne, in aquam pones, coques poſtea, coctum ægrotis in medicinā dabis. *Alch.* Nihil mihi dicis ad meas quæſtiones. Video ego quod tu me tantum parabolis vis eludere. Vxor affer ſtercus porcinum, ego iſtum Mercurium nouis modis tractabo, donec mihi dicat, quomodo lapis Philoſophicus ſit faciendus ex illo. Mercurius auditis hiſce, incipit lamentari ſuper Alchymiſtam, vaditque ad matrem Naturam

ram, accuſat ingratum laborantem. Natura filio Mercurio crepit, qui verax eſt, ira commota, ad Alchymiſtam venit, & illum vocat, heus tu, vbi es? *Alch.* Quis eſt qui me vocat? NATVRA. Quid tu ſtultè cum filio meo agis? cur illi facis tantam iniuriam? cur illum crucias, qui tibi omne bonum facere vult; ſi tantum intelligere velles? *Alch.* Quis diabolus me increpat, tantum Virum & Philoſophum? *Natu.* O ſtulte plenum ſuperbia, ſtercus Philoſophorum, noui ego Philoſophus, & omnes Sapientes, quos amo, nam & illi me amant, & omnia mihi faciunt ad placitum: & quo ego non poſſum illi me iuuant. Vos autem Alchymiſtæ, ex quorũ ordine tu quoq; vnus es, abſq; meo ſcitu & conſenſu, imò omnia contraria mihi facitis, propterea vobis etiam contrarium euenit, putatis, quod bene filios meos tractetis, ſed nihil perficitis: & ſi rectè cõſiderare velitis, non vos illos tractatis, ſed illi vos tractant: nam vos nihil ex illis facere poteſtis neque ſcitis illi verò ex vobis, quando volunt, faciunt ſtultos. *Alch.* Non eſt verum, ego etiam ſum Philoſophus, & ſcio laborare bene, fui ego apud Principem non vnum, & fui apud illos Philoſophus, quod & vxor mea ſcit, etiam iam nunc habeo librum manuſcriptum, qui erat aliquot centum annis in muro quodam occultus,

iam

jam certò sciam facere Lapidem Philosophorum, & etiam hisce diebus reuelatum est mihi per somnium. O ego soleo vera somnia habere: Vxor tu scis. *Nat.* Facies sicut fecerunt alij tui collegæ, qui in principio omnia sciunt, & scire se putant, in fine verò nihil *Alch.* Tamen alij ex te (si tu es vera Natura) solent facere. *Natu.* Verum est, sed solummodo hi, qui me nouerunt, qui pauci sunt. Qui me verò nouit, non cruciat filios meos, neque me impedit sed mihi facit ad placitum, & augmentat bona mea, & filiorum meorum corpora sanat. *Alch.* Tamen & ego sic facio. *Natu.* Tu mihi contraria omnia facis, & contra meā voluntatem cum filijs meis procedis: vbi deberes reuificare, tu occidis: vbi figere, tu sublimas: vbi calcinare, tu distillas; præsertim hunc mihi obedientissimum filium Mercurium, quem tot corrosiuis aquis, tot venenosis rebus crucias. *Alch.* Tunc ego sic procedam cum illo suauiter per digestionē solummodo. *Nat.* Bene est si scis, sin minus non illi, sed tibi nocebis ipse, & sumptibus tuis: nam idem est illi, ita cum stercore se miscet sicuti cum auro, gemma semper bona est, & stercus illum non minuit, etiamsi in illud proijcietur, quando Lauatur eadem est gemma, quæ fuit antea. *Alch.* Sed ego libenter scirem facere Lapidem Philosophicum,

phicum. *Natu.* Ergo non sic filium meum tractato: scito enim, quod ego multos filios & filias habeo, & adsum præsto quærentibus me, si sunt digni. *Alch.* Dic ergo mihi quis est iste Mercurius? *Natura.* Scito, quod est mihi vnus tantum talis filius, vnus ex septem est, & primus est, ipse quoque omnia est, qui vnus tantum erat: nihil est, & numerus eius integer est. In illo sunt quatuor Elementa, qui tamen non est Elementum. Spiritus est, qui tamen corpus est: Vir est, & tamen vices fœminæ agit: puer est, & viri arma gerit: animal est, & tamen alas auis habet. Venenum est, & tamen lepram curat: vita est, & tamen omnia occidit: Rex est, alter tamen poßidet eius regnum: fugit cum igne, & tamen ex illo paratur ignis, aqua est, & non madefacit: terra est, & tamen seminatur: aer est, & viuit aqua. *Alch.* Iam video ego, quod nihil scio, sed non audeo dicere: nam perderem bonam existimationem, & vicinus meus non impenderet amplius in me, si sciret, quod ego nihil sciam: ego tamen dicam, quod scio certè, alias nemo vel panem mihi daret: multi enim illorum sperant à me multa bona. *Nat.* Etsi in longum pertrahes, quid postea erit? interim & vicini quilibet, repetēt suos sūptus à te. *Alch.* Alam spe omnes quousq; potero. *Natu.* Et tandem quid vltimò? *Alch.*

Tentabo

Tentabo tacitè varios labores, si succedet soluam: sin minus, ibo in aliam prouinciam & hoc idem agam. *Natu.* Et postea quid erit? *Alch.* Ha, ha, ha, sunt multæ prouinciæ, multi quoque auari, quibus magnam copiam promittam auri, inque breuissimo tempore, & sic dies diem sequetur, interìm aut Rex, aut Asinus morietur, aut Ego. *Natu.* Laqueus (merito) tales Philosophos manet: apage te, & finem tibi, & tali tuæ Philosophiæ, mala cruce, quam ocissimè impone; hoc enim vnico consilio, nec mihi, nec proximo, nec tibi ipsi fraudi eris.

FINIS.

TYROCINIVM CHYMICVM E NATVRÆ FONTE ET MANVALI EXPERIENTIA DEPROMPTVM.

AVTORE
IOANNE BEGVINO,
Christianiss. Regis Franc. Eleemosynario.

HAC POSTREMA EDITIONE ab ipsomet autore quam diligentissime recognitum & auctum.



COLONIAE,
Apud Antonium Boëtzerum,
M. DC. XV.

Cum Priuilegio.

DEO OPT. MAX.
OMNIVM BONORVM
AVTORI, HOC QVA-
LECVNQVE OPVS SI-
CVT ET ME, ET MEA
OMNIA, DEDICO,
LIBO, VOVEO:
CVI OMNIS LAVS, VIR-
TVS, ET POTESTAS
IN OMNE AEVVM.

AMEN.

a 2 THEO-

THEOPHRA-STVS PARACELSVS LI-bro de tinctura Phyſico-rum, cap. 1.

DISCENDÆ primum digeſtiones, deſtillationes, ſublimationes, reuerberationes, extractiones, ſolutiones, coagulationes, fermentationes, fixationes, & omne quod ad opus hoc, inſtrumẽtum requiritur, cognoſcẽdũ eſt

vſu:

vſu: prout vitra, cucurbitę, circulatoria, vaſa Hermetis, terrea vaſa, balnea, furni vẽtales, reuerberatorij, ſimileſq; alij, necnõ & marmor, carbones atq; tenacula. Sic demum in Alchymia, medicinaq; proficere poteris.

Quamdiu autẽ per phantaſiã & opinionem fictitijs libellis adhæreſces, ad horũ nullum aptus & prędeſtinatus eris.

Epigramma ad Beneuolum lectorem.

Quisquis es ô lector nostro tu parce labori,
Quæ sunt dicta modo, dicta fuêre prius;
Et quæcunque meo paruo sunt scripta libello
Vt mea non mea sunt, sic tua non tua sunt.

In li-

In librum ad Lectorem.

PLaude chorus Sophiæ: Colchos stat quassa dolore.
Quod rapiat Iason vellera miræ nouus.
Quod domat igniuomos, artis virtute Dracones,
Quod superat Tauros, dentisatosque viros.
Plaude solum victor spolijs de vellere Iason,
Pressus adest, pandens mira secreta sophis.
Mira loquor: lector non tu miraberis ipse.
Cur nostrum feriant fictæ vetustæ caput?
En nouus hic Autor, Iason, vellusque libellus,
Quod rapuit Colcho scilicet inuidia.

In librum ad Lectorem.

Aſpice theſauros tenuit quos inuida Colchos.
Quos Draco, quos Tauri, quos tenuêre viri.
Cinxit at his gryphis Chymiam, Sphynx docta vetuſtas,
Vt niſi nō longo nota labore foret.
Quam nunc detectam præſenti perſpice libro,
Et gryphi latebras Alchimiamque ſcies.
Sis moneo gratus, nec rodas dente canino:
Ne redeat Chymiæ fabula priſca loco.

Gaſparus Ieſchky M. D.

Ad Iu-

Ad Inuidum ἐπίγραμμα.

INuide dum strenuum hunc petulanti dente laborem,
Rodis, opus nulla quod iuues arte facis.
Si tamen hæc, meliore velis ditare Minerua,
Quæ spernis, tibi res plena laboris erit.

Andreas Ferronus Clariacus Agennensis. M. D.

Ad Authorem.

DVM tua te laudat do-
ctrina, sciētia, virtus,
Ars quoque vult laudes
enumerare tuas.
Huic natura suis (mirum:) conati-
bus obstat:
Ipsaque vult nomen concelebrare
tuum.
Exoritur bellum; quæuis benefacta
recensens
Te canit auctorem, te canit vtra
patrem.
Iure eius laudes, Ars, inquit, pando
per orbem.
Eruta quod tenebris luce nitesce
noua.
Seclaq; cum fuerim gryphis per-
multa sepultæ;
Me nouus Hermetis donat honore
labor.
Me Sophus obscuro velo vēlauit, ini-
quus
Impostor fucis: hinc ego crimen e-
ram.

Ast

Ad Authorem.

Ast explanato redit ecce ænigmate nostra
Gloria: cum velum, fucus & omnis abest.
Has Natura suis cum voces auribus hausit;
Exclamat: non est gratia nostra minor.
Nam mea distracto spectatur corpore virtus,
Quæ rursum iuncto, vis mihi maior inest.
Lanx igitur nostras cum laudes pōderet æqua
Stet quoque iam simili gloria nostra gradus.
Nam tua nos clari cantabimus acta laboris:
Cum statuet Medicus digna trophæa malis.
Plaude decus Chymiæ, Natura ac Arte coruscans:
Laude mica, dum nos, dum tua scripta micant.

INDEX CAPITUM

LIBRI PRIMI.

LIBRI SECUNDI.

De

De

LIBRI TERTII.

TYROCINII CHYMICI.

LIBER PRIMVS.

CAPVT I.

De definitione Chymiæ.

CHymia est ars corpora naturalia mista soluendi, & soluta coagulandi, ad medicamenta gratiora, salubriora, & tutiora concinnanda. Chymia quid.

Chymiæ vocabulum Græcum est: Latinis idem, quod ars liquorẽ faciens; aut res solidas in liquorem soluens: dicta ita κατ᾽ ἐξοχὴν, quod Etymologia vocabuli Chymiæ

Vnde dicatur Alchymia. Vnde ars Hermetica. Vnde destillatoria.

Chymia soluere (id quod difficilius) & coagulare doceat. Alchymiam si quis nũcuparit; Arabum more præstantiam eius: si Spagyriam; præcipua officia, σύγκρισιν nempe & διάκρισιν: si artem Hermeticam autorem & antiquitatem; si Destillatoriam; functionem eius præclaram & facilè principem insinuet.

Chymia est Ars.

Cum autem omnes disciplinæ vulgô sint vel theoricæ vel practicæ: Chymia non acquiescens in cognitione & contemplatione corporum mistorum, vt Scientia Physica: sed finem habens τὸ ἔργον seu πρᾶγμα, magisterium scilicet, tincturas, quintas essentias & similia: meritò ipsi locus inter practicas disciplinas & artes conceditur: etiamsi fortè inueniãtur, qui theoriâ solâ contenti ad iucundissimas artis huius ἐγχειρήσεις, vel magistris idoneis destituti, vel grauioribus alijs negotijs impediti, per accidens se non accingant.

Obiectũ Chymiæ

Obiectum artis huius, corpus mistum concretumque statuitur, non quâ

qua illud est mobile; ita enim Physicę considerationis est: verum quatenus est solubile & coagulabile, Talia autem sunt vel imperfectè mixta, vt ros, grando, nix; vel perfectè mixta, vt plantę, frutices, metalla, lapides, arbores & animalia omnis generis. Vnde apparet: quam grauiter illi hallucinetur: qui audito Alchymistæ nomine, statim sibi hominem imaginantur, qui nihil tractet aliud, quam metallorum μεταμορφώσεις, nihilque meditetur, quam mirabile lapidis Philosophici μυστήριον.

Finis eius est, medicamentorum suauiorum, salubriorum & tutiorũ præparatio: atque hac ratione Ars nostra à Pharmacopoea vulgari, quæ etiã medicamenta concinnat, tuta quidem & salubria, sed minus grata distinguitur. Nam quod ad suauitatem attinet: in confesso est: ægrotum citius parum conseruæ rosarum, cui grana forte quatuor Mercurij per inferiora tantum purgantis, commixta sint, assumturum quam

Finis Chymiæ.

Medicamenta Chymica sunt vulgaribus suauiora.

quàm multas Diacatholici drachmas: citius pillulam vnicam benedictàm Quercetani, vel duas ex Electuario Panchymagoga eiusdem cõformatas, quam decem vel quindecim pillularum. Sine quibus, Aurearum, Fœtidarum: citiùs grana quatuor Bezoartici mineralis celeberrimi Hartmanni, vel octo Antimonij Diaphoretici Crolij, quam potionem aliquam sudorificam: citius iusculum cremore aut magisterio Tartari conditum, quàm haustum agonisticum apozematis, syrupiue alicuius magistralis, ad descriptionem, nescio, quot pedes lõgam laboriosè confecti. Fieri tamẽ poterit: vt quandoque eiusmodi pocula & canthari medicamentorum vulgarium suauitate Chymica longè superent: nimirum tunc, cum nonnulli ægrotantium, allatis illis & nondum manu prehensis, sola saporis & odoris eorum nauseabundi imaginatione, non vi aliqua magnetica concitati, ἄνω καὶ κάτω vomunt & deijciunt: id quod medi-

medicamentis Chymicis præstari hactenus non potuit. At inquiunt: triumphent sanè Spagyrici remediorum suauitate: referant autem recepto more præparata in pharmacopolijs medicamenta, laudem salubritatis & curationis tutionis. Hic Rhodus, hic salta. Nam dicunt: vestra remedia non modo nostris non sunt salubriora & tutiora: cum ne quidem satis sint salubria & tuta. Plæraque enim vestra sunt venenata, & naturæ humanæ planè aduersa: vtpote metallica & ex mineralibus desumta: pleraque acria, corrosiua: pleraq; calidiora, quàm vt conueniant, & graue ἐμπύρευμα redolentia. Grauia hæc sunt tela, & Chymicorum iugulum petitura, nisi rationis & experientiæ clypeo excepta dextrê elidantur, Negari equidem haud potest: multa nostrorum medicamentorum, è mineralium & metallorum familia petita esse: sed propterea non venena ta, non humanæ naturæ prorsus infesta. Quod si enim veteres ijsdem

Medicamenta Chymi.

ea non sunt venenata & humanæ naturæ aduersa etiamsi metallica.

omnibus, sed crudis & non præparatis, sicut ex Galeno, Dioscoride, Antidotario Nicolai Myrepsici & alijs videre est: & recentiores quidam famosissimi Medici, vti Rondeletius, mercurio crudo in pillulis Barbarossæ, ad morbum Neapolitanum expugnandum; Crato triũ Cæsarum Medicus felicissimus, cinnabari ad vertiginem; & alij Antimonio, vt Cardanus, Iulius Alexãdrinus, Matthiolus; Vitriolo Gesnerus; Croco Martis ad icteros Fallopius; Sulphure vniuersi ad pulmonum affectus vsi sunt: cur nobis eadem rectè præparata & omni venenosa malignitate exuta, in vsum medicum transferre non liceret? præsertim cum videamus eos: qui vulgaribus Pharmacopolarum medicamentis firmam sanitatem recuperare non potuerũt, suasu ipsorum Misochymicorum ad thermas metallicas aut fontes minerales ablegatos, eorum vsu continuato perfectè fuisse curatos. Vnde sanê conijciendum est: in eiusmodi mine-

mineralibus & metallicis, balsamū quendam fixum spiritusque potentissimos & corruptioni minimè obnoxios conclusos esse. Id quod ex vsu etiam medicamentorum Chirurgicorum conspicuum: vbi vix vllam magnarum virium est, nisi cui vel metallum vel minerale aliquod sit commistum. Absit autem: vt ea cruda, seu veterum seu recentiorum quorundam more, intra corpus propinanda esse censeamus. Vtile ab inutili separandum: venenum à mumia salutari: nucleus & medulla à corticibus, putaminibus, siliquis & fecibus secludenda. Sic demum exinde apta remedia ad deploratissimos quosque morbos citô, tutô & iucundê curandos, si à medicis doctis, expertis & circumspectis, & ad præscriptas Therapeiæ leges adhibeantur, exsurgent. Sic Vipera, venenatissima bestia ritè præparata basin Theriacæ, alexipharmaci illius vniuersalis, tot seculorū experientia cōprobati, constituit. Sic ex serpentibus

Vera medicamentorum malignorum correctio.

vulgaribus tam προφυλακτικὸν quã θεραπευτικὸν certissimũ, contra omnis generis venena, vulgò nunc parari, quotidie videmus. Sic Draco marinus, quem Galli *la viue* nuncupant, in dorso spinam habet; qua segregata, cibus exinde paratur delicatissimus. Eadem plane ratione & fossilia ad eam mediocritatis naturã reduci possunt: toto in partes constituentes resoluto, qualitatibusque malignis & fatum accelerantibus auerruncatis: vt certo certius sit: eos, qui talibus legitimè præparatis ritè vtuntur, non tam internecinum hostem, quam benignum hospitem; non tam venena, quam alexipharmaca & morborũ ῥιζοτόμους in vitæ suæ penetralia admittere. Nam si metallorum & mineralium venenositas à forma eorundem dependet: quis non videt: si ea in tria sua principia, artificio chymico consumantur, omnes qualitates lethiferas ablatum iri? Et si in parte aliqua constituente malignitatem stabulari opineris

tantò

tantò facilius intelligis: toto in partes suas diuiso: illam segregari posse. Atque hoc modo instituta feralium medicamentorum correctio: quam salutaris, sit, infinitis exemplis: nisi ea nota esse arbitraremur; comprobari posset. Desinant igitur Misochymici, à mineralium & metallorum vsu, intra corpus exhibendorum abhorrere, & nescio quam ἰλιάδα τῶν κακῶν ex eo repullulantem temere pertimescere: quin potius discant à Chymicis verum malignitatis remediorum quibus veneranda antiquitas vsa est, (puta. Antimonij, Mercurij, vtriusque Hellebori, omnium Tithymali specierum. Pytyusæ, Elaterij, Colocynthidie, Euphorbij, Thapsiæ, Scammonij, Thymelææ, lapidis Lazuli & Armenij, AEris scoriæ, Sandarachæ &c.) malignitatis, inquam, perdomandæ modum: qui fit corporis heterogenei in suas partes ἀνατομία; non autem consuetâ Mastiches Dragacanthæ, Spicæ, Cinamomi aut similiũ additione.

Nam qui ita medicamẽtorum simplicium qualitates venenatas dispellere & infringere satagit: næ ille similis videtur cocis imperitis & stolidis: quibus si carpiones desquamandi & euiscerandi essent: amatorem bilis, fellea cysti fortè fortuna pertusâ, non eluendum aut segregandum; sed sacharo melleue addito obtundendum esse contenderent: aut si ijdem intestina animalium in alimentum hominum præparare deberent: nec ea ab excrementis sordidis & fætidis mundanda esse; sed vel ambra addita, oleisue odoriferis affusis, coquenda, stultè iudicarent. Porrò Spagyrica non videntur salubria esse & tuta, quia acria & corrosiua, ignisq; violentia magis caustica reddita, & quia impressum ἐμπύρευμα redolent. Verum si acria, si corrosiua intra corpus non recipienda: Deus bone, quanta medicamẽtorum copia è vulgaribus Pharmacopolis ejicienda? quantus eorum numerus ex Antidotarijs expungendus? quot con-

Chymica remedia sunt salubria & tuta licet acria.

condimenta è culinis remouenda? Cantharides à Galeno inter medicamenta exitialia, quod per erosionem interimant, numerantur: & tamen parcè sumtæ, & quibus oportet, commixtæ, τοῖς γιδουτείβουσι & diureticis, vehiculi loco, ab eodem conceduntur. Vitriolum quam corrosiuum sit; omnibus constat: & tamen in laudatissimam antidotũ Theriacam recipitur. Allium, cæpe, sinapi, nasturcium, quam acria? & tamen quotidie ijs inter epulas vti non reformidamus. Limonum, Citriorumq; succus firmissima Perlarum & Corallorum corpora dissoluunt; & tamen cum in extremâ virium imbecillitate, Cardiacum efflagitatur; nullum eo præsentius & præstantius vulgò propinatur. Ergo nec Chymicorum remediorum acrimonia & vis caustica metuenda: pręsertim, cum multa sint forinsecus corrodentia, quæ intrinsecus, cùm ob maiorem interaneorum repugnantiam & vegetum caloris natiui robur; tum ob humores no-

xios, in ventriculo ſtagnantes, pari ratione vires ſuas explicare non poſſunt. Accedit: quod, ſicut nec integros manipulos ſalis deuoramus nec aliquot libras eius in iuſculis, ſed fortè pugillum vnum diſſoluimus, parumque aceti & aromatum ad cibos condiendos adhibemus; ita cum neceſsitas Medicos Spagyricos, ad medicamenta acria vſurpanda compellit: guttam granumue vnum aut alterum; nec ſola, ſed idoneis liquoribus permiſta exhibeant. Imò acerrima quæuis ita edulcorari poſſunt: vt omnem acrimoniam deponant: quod ex aqua forti & regia, ſi Tartari Sal ijs commiſceatur, manifeſtum euadit. De ignis contagio, quæ obijciuntur: adeo vana ſunt & friuola, vt ne quidem refutatione egere videantur. Ipſe enim Galenus cap. 18. de Theriaca ad Piſonem, ignem multa efficere meliora, & interdum latentem rerum naturam detegere, quædam etiam, quos volumus in vſus, apta reddere, expreſsè ſcribit: vnde

Medicamenta Chymica non ſunt periculoſa propter acredinē ab igne contractam.

etiam

etiam idem Elementum, titulo Magiſtri artium, à Cicerone non immerito inſignitur. Et vt taceam: quod Galenus metalla acria & mordentia, vt mitiora reddantur, ignis examini ſubijciat: chalcitis vſta melior exiſtimatur, quam non vſta: Balanus Myrepſica ſecundum Meſuen vomitum, mouet & ſimul per aluum deiectiones enititur. Aſſatâ autem & humiditate eius nauſe abundâ ablatâ: ſola vis humores per ſeceſſum expurgandi remanet. Ita Mercurius ſublimatus, qui acerrimus exiſtit, ignis violentiam cum Antimonio paſſus, vt in mitiſsimũ, ita ſaluberrimum abit alexipharmacum. Sic ferrum, cum in crocum Martis in reuerberio calcinatur: extremum flammarum calorem ſuſtinet: nec tamen ipſi ea inprimitur acrimonia, vt vſus eius in hæmorrhagijs & alijs fluxibus non ſit frequentiſsimus, non vtiliſsimus. Contra aqua & oleum Cinamomi, quantum acredinem ſolo vaporis balneo acquirunt? quantam eodem

vinum? Vnde hoc? intelliges rationem: si, quare sol induret lutum, liquefaciat autem ceram, idemque linteamina albefaciat, faciem verò denigret, perpenderis: Falleris igitur: si Spiritus Vitrioli acrimoniam ab externo calore contrahi: si oleū Salis ab igne reuerberij, eadem infici existimas. Nisi enim Sales mixto insint: etiamsi violentissimo igne id exerceas: nunquam tamen ei tanta acredinis stigmata inures: Et contrà, licet moderatissimo in quibusdam calore vtaris: ea tamen ob salium præsentium vim, acriora redditum iri ne dubites. Cæterum ἐμπύρευμα medicamentorum Chymicorum tanti momenti non est: vt Medicis practicis eo nomine exosa esse & periculosa videri debeant. Si enim quoddam ijs vestigium medicamentis inhæsit, id aut à calore moderato, aut forti, origenem suam sortitum est. Si ab illo: & propterea medicamenta Chymica euadunt noxia: tum nec esculenta, nec poculenta nostra, nec vulgaria reme-

Vnde acrimonia medicamētorum Chymicorum.

Chymica remedia non redolent empyreuma.

remedia tuta erunt & salubria: cum ad ea paranda, maior sępe ignis gradus requiratur, quam ad medicamenta Chymica: quod patet ex coctione cereuisiæ: vbi hordeum primò valenti igne torretur: post maiori coquitur: item ex quibusdam vinis Rhenanis, quæ ob salubritatē populis Septentrionalibus in omnibus ferè morbis, loco remedij sunt; & tamen ad veram maturitatem, non nisi ignis Elementaris beneficio perduci possunt: item ex piscibus assatis, carnibus fumo induratis & sexcentis alijs. Si verò ab hoc, igne scilicet violento: nec inde periculi quidquam ægrotantibus imminet: cum vel ablutione vel digestione corrigi posśit: vt videre est ex cineribus: qui caliditatis suæ notas ab igne communicatas, affusâ aquâ, in lixiuium deponunt. Imo ablutio nimis crebrô repetita, purgantia quædam metallica & mineralia chymice præparata, ad sentinam prauorum humorum exhauriendam, inepta reddit. Digestione

Empyreuma quomodo corrigi posśit.

ne autem quam omnia dulcescant: nocius est, quam vt exemplorum inductione, ad id comprobandum, opus esse videatur. Quod si autem fortè per Empireuma intelligis: quando vel calor potentialis, qui in misto latebat tanquam sub carbonibus, igne violento in actum producitur, & liber iam ab omnibus compedibus potentiores exerit vires; vel quando calor, qui hinc inde dispersus erat, Vulcani beneficio vnitur: nec hanc ob causam, seu Empyreuma, seu calor nimius metuendus: cum Medici officium sit: calidis eiusmodi dextrè vti, sicut & alijs, quæ si imprudenter adhibeantur, ægrotis nocumentum allatura videntur. Sed instant Misochymici & grauius nos vrgent: dũ prætendunt nostra medicamenta esse inutilia: quia emortua & ex mistis destructis, corruptisque orta humidoque primogenio destituta. Verum enimuerò, si mistorum corpora non soluenda, vel vt ipsi odioso vocabulo vtuntur, non destruenda,

Præparatio non reddit medicamenta chymica inutilia.

da,

da: cur isti mistionis harmoniam turbant? cur infusiones, decoctiones, sirupos igne violento parant? cur assationibus, cur tostionibus, cur destillationibus, cur diagridio, & non Scammonio integro? cur trochiscis Alhandal & non colocynthide ipsimet vtuntur? cur in extrema virium imbecillitate, destructo capone, hoc est aqua eius stillatitia, vbi certè omnis κρᾶσις & μῖξις totius perijt, ægrotos iam iam animam quandoque exhalaturos, nutrire præsumunt? An quia Naturam hac in parte imitari volunt: quæ cibos in ventriculum ingestos, non crudos & integros adhuc existentes, ad partes alēdas deuehit; sed destructos, hoc est, ab inutilibus & crassioricus partibus denudatos, & in hepatis officina, in quintam quasi essentiam redactos. Dicant: si placet: an cum infantes ab vberibus matrum adhuc pendentes, lacte earum, quę infuso Rhabarbari, vel suæ vel illorum valetudinis gratia vsæ sunt, purgantur: concen-

centus, temperies & harmonia totius Rhabarbari in lacte materno pressum data fuerit: an vero forma huius mixti de subiecto suo in aliud, & ex hoc rursus in aliud translata, & multas mutationes passa, salua integra permanserit, atque ita ex corpore humores prauos excluserit? Forte hinc fit: quod quidã Misochymicorum à caseo & tum butyro abhorrent: non naturali quadam ἀντιπαθείᾳ, sed quod ob concentum lactis destructum, formam eius & temperiem abolitam verentur, hęc & similia alendo corpori esse inidonea. Deinde dum Chymica remedia mortua cadauera nuncupant: humidoque primogenio spoliata esse contendunt: partem sibijpsis contraria; partim veritati nõ consentanea loquũtur. Si enim scelera sunt: cur alibi ea potentius agere, quã humanæ temperiei mediocritas permittat asserũt? Deinde nonne necesse est: vt tam animalia, quam vegetabilia, vita illa qua sibi viuunt, hoc est, nutriuntur,

Chymica remedia non sunt emortua cadauera.

cres-

cresaunt & augescunt, priuentur: quô esui & vsui hominibus esse posint? Nec enim ipsi Scythæ tam barbari sunt: vt licet carnibus vel crudis, vel cursu equorum concitatiori, sub ephippijs feruefactis vescantur: viuas feras in os ingerere & deglutire velint. Ita etiã plantas, stirpes & frutices, vt in corpore humano vitales edere actiones valeant, mori oportet: hoc est ex solo eorum natiuo erui, ne exinde amplius alimentum pro vita sua conseruanda attrahant, sed vt ad hominum sanitatem tuẽdam, morbosque profligandos apta remedia suppeditent: id quod etiam herbæ & alia ita emortua, imprimis si legitima eorum ἐξανθρωσις præcesserit, intra corpus assumpta feliciter præstant. Et vt experientia, certissimo veritatis, κριτηρίῳ, euincã, vitam vegetabilium operationibus Chymicis non destrui, nec humidum mistorum primigenium ijsdẽ absorberi: certum est & multoties probatum: sales herbarum præser-

tim

tim calidarum: si certo quodam modo & nobis cognito seminētur: alias producere suæ speciei herbas vt taceam ea quæ Quercetanus cap. 23. in responsione ad Anonymum, pro veritate Hermeticæ Medicinæ, stupēda & suscipienda adfert exempla: Quid? quod in Arduenna & alijs multis locis desertis, sterilibus & aridis, vt agricolæ æstate, quod metere possint, habeant: dumeta, genistas & vepreta passim comburant, & cineres hinc inde per campos dispergant, vt subacta terra, sale, beneficio pluuiarum supercadentium ex illis elicito pinguefiat, ac lætas segetes postmodum, ex semine in terram proiecto producat. Fungitur nimirum eiusmodi cinerum sal officio fimi, quo nunquam agri impinguari possent: nisi vrinis & sale animalium brutorum (est enim in sale pinguedo, quod miremur, vt Plutarchus post Aristotelē in Sympoſiacis lib. 1. quæst. 9 testatur) esset imbutus. Non tamen planè abnuerim: viuentia quædam &

nondum emortua rectè interdum adhiberi, vt gallus circa podicem deplumatus, ad venenum è carbunculis pestiferis extrahendum: vt catelli ad ventriculum frigidum & imbecillum benigno calore & temperato extrinsecus foueudum: sicut etiam non negarim integra interdum præstare destractis: modò & ipsi fateantur: se non minus destructis vti quam Chymicos. Super est nunc scrupulus vnus, qui multorum animos valde torsit, diuq; suspensos detentos remoratus est: quò minus in vsum Hermeticorum medicamentorum consentire potuerint: nempe quod illa, præsertim si sint metallica aut mineralia calorem natiuum & spiritus subitò dissipent, & in partibus principalibus funastas reliquias, malignum fermentum & prauã διάθεσιν relinquant: vnde aliqui per accidẽs curati, & paulò post recidiuam passi, maturius ex hoc mundo discesserint. At immeritò remedia Spagyricè præparata eo nomine malè

Medicamenta Chymica non imprimunt mẽbris principalibus corporis prauam dispositionem.

malè audiũt: cum si fortè tale quidpiam ex vsu eorum accidat: id non tam remedijs, quam vel artificibus qui ea concinnarunt, vel Medicis qui ea exhibuerunt, imputandum sit. Notum est enim quantus sit eorum numerus, qui illotis manibus, ad hanc artem nobilissimam accedunt: qui ex libris tantum, non αὐτοψία artem hanc edocti, stibiũ & hydrargyrum ad sanitatem hominis vel conseruandam, vel deperditam restituendam, audacter parare, & parata intra corpus exhibere non verentur. Talium Chymicorum præcipitatis, non mirum, si illi, qui his vtuntur, in sepulchrũ præcipitentur: si eorundem Mercurijs vitæ, non vitam; sed mortem & magno interdum precio emptã, quidam improuidi & valetudinis suæ prodigi, consequantur. Deinde culpa tam grauium accidentium non rarò in ijs etiam residet, qui dicta medicamenta propinant, quorum aliqui legitimum ipsorum vsum nunquam viderũt; aliqui planè in-

indocti sunt, stupidi, omnis methodi Galenicæ & Hippocraticæ ignari, quales sunt Iudæi & Agyrtæ similes, quibus religio non est, latronum more, de corio humano, pro libitu, ludere. Non absimili ratione & vulgaribus medicamentis, quæ sunt potentiorum virtutum, vtpote Scammoneatis, Helleboratis & similibus dica interdum scribitur: quando à Pharmacopolijs imperitis sinistrè parantur; aut ab expertis dextrè conficiuntur; sed præposterè ab empyricis vsurpantur; licet aliâs ex vsu esse poßint, bene scilicet parata, & methodicè adhibita. Non est igitur: quod Medici docti & prudentes à Chymicorum medicamentorum vsu in posterum abstineant, cum si ea ab expertis artistis, inter quos in Gallia eminet Nicolaus Bonne Illustrißimi Ducis Bullionæi in arce Sedanensi Pharmacopæus, qui officinam habet selectißimis remedijs, cùm Galenicis, tùm spargyricis, præsertim verò Theriacis communi & essen-

sifica-

ſificatâ ad Quercetani leges ſolertiſsimè & fideliſsimè præparatis inſtructiſsimam, conficiantur: omnis malignitas, ſi quæ ipſis ſuâ naturâ ineſt, miniſterio Vulcani auferatur: vt impoſsibile ſit ea poſſe, ſi methoticè vſurpentur, vel calorem natiuum & ſpiritus, indiuiduos animæ ſatellites deſtruere; vel prauam diſpoſitionem partibus principibus inurere.

Atque ita hactenus monſtratum eſt: quam vano & falſo prætextu, remedijs Chimicis, quaſi periculoſa, inutilia & peſtifera ſint, ius ciuitatis in republica Medicâ denegetur: nunc quod eadem ſint vulgaribus ſalubriora & tutiora euincendum eſt: quod quidem ex prioribus ſatis liquet: ſed tamen vt omnia melius dijudicari poſsint: pauca quædam pro noſtra aſſertione attexenda videntur. Salubriora igitur & tutiora ſunt arte Spagyricâ concinnata remedia, quàm vulgari modo præparata: quia in illis purum ab impuro, malignum ab alexi-

Medicamenta ſpagyrica ſunt ſalubriora & tutiora vulgaribus.

alexipharmaco, corporeum à ſpirituali, inutile ab vtili ſeparatum: ac proinde ventriculum ſua mole nō moleſtant: nec operationes ſuas differunt; ſed citò cum morbis colluctari incipiunt, eoſque victas dare manus feſtinanter cogunt. Sic cereuiſia defecata ſalubrior eſt non defecatâ: ſic vinum à tartaro ſuo depuratum, tutius hauritur; quam vinum ex vuis recenter expreſſum: ſic cibi, ſecluſis à natura excrementis, poſt multas coctiones ſingula corporis noſtri membra nutriunt: ſic citius aqua cinamomi aut balſamus eius, in lipothimijs, ſpiritus reficit; quam ipſum cinanomum integrum: ſic guttæ aliquot olei aniſi plus præſtant, quam integræ eiuſdem vnciæ. Vulgus autem præparationes omnes improbat & integris vti mavult, quam in principia ſua couſumptis; partim nō ſufficientes aut conuenientes adhibet, vnde non rarò ægrotantes ob deuoratas partes noxias excrementitias & venenatas vna cum ſalutari-

bus & vtilibus, expugnato morbo, cũ symptomatis grauioribus postmodum superuenientibus, & ipso priori morbo periculosioribus cõflictãtur. Deinde quis nescit; aquas Chymicas, odorem & saporem vegetabilium integrum referre: vulgares autem nihil aliud esse, quam phlegma inutile & aquas leuiter putrescentes: illasque multos annos durare; has verò vix mensem vnum aut alterum. Et sicut aquæ vulgares Pharmacopolarum, extremam malignitatem à vasis plumbeis acquirunt: sic non minorem & decoctiones earundem, à vasis cupreis: quæ eo deteriores adhuc euadunt, quod in earum pręparatione, subtilior & melior pars in auras euanescunt; & situ paullo post contracto corrumpantur, inutilesque reddantur. Adhæc analeptica & cordialia, quæ ex corallis perlisque in puluerem contritis & cribratis, nec non auro foliato præparantur, quas vires alias in corpore humano exerunt: nisi quod ventriculum
in-

incruſtant, eumque alias languidũ magis eneruant? Contra quintæ eſſentiæ Chymicorum & magiſteria ex ijſdem, vt & tincturæ auri abſq; corroſiuo factæ, ſicut in quouis liquore facilè ſoluuntur: ita ſoluta, & intra corpus admiſſa, vires collapſas reſtaurant & priſtinum vigorem reſtituunt. Quid, quod medicamẽta vulgaria in morbis chronicis, rarô optatos ſortiantur effectus: vtpote ex vegetabilibus tantum deſumta, quibus radices affectuum contumaciorum firmiores funditus exſtirpari & euelli nequeunt. Chymica autem præſertim ex metallicis & mineralibus præparata, vtpote potentiorum virium & maioris efficaciæ, incurabiles vulgo morbos, epilepſiam, lepram, quartanam, podagram, hydropem ἡσύχως, ταχέως καὶ ἀσφαλῶς percurant. Non igitur abs re à nobis factum eſſe putamus: quod Chymiam artem medicamenta gratiora, ſalubriora & tutiora conncinnandi, in libelli noſtri frontiſpicio definiuerimus,

CAPVT II.

De solutione in genere.

Solutio quid.

SOlutio Chymica est ἐργασία siue operatio, qua corpus naturale mistum in tria sua principia, Mercurium, Sulphur & sal, ex quibus a natura conflatum est, separatis heterogenijs, recluditur.

Tria sũt principia Chymica.

Sicut Aristoteles principia corporis naturalis vere statuit tria: Materiam, Formam & Priuationẽ: licet ea sint noëtica potius, quam verè hypostatica; Et veluti Galenus quatuor elementa, ignem, aërem, aquam, terram, pro principijs, & si remotis, haud abs re adstruit: ita Chymicus, artifex sensatus, sensibilium corporum tria asserit principia sensibilia & proxima, Mercurium, sulphur & sal: sequiturque hac in parte ipsum Aristotelem, tertio de cælo textu 61. quem locum Petrus Ramus ad nauseam vsque in Scholis Acroamaticis, Philosophi superius allegatis principijs opponit: & post eum Kragius contra Peripa-

ripateticos valde vrget. Per Mercurium autem, sulphur & salem nõ intelligendum est, quod eiusmodi mineralia ex mistis concretisque corporibus, beneficio ἀναλύσεως Chymicę possint erui: qualia vulgo à mercatoribus venduntur: verum sufficit: si sint talia, prȩsertim in vegetabilium & animalium familia, quæ mineralibus illis sint ἀνάλογα, & tantum inter se differant essentia proprietatibus, & actionibus, quātum illa in suo genere minerali. Quid per ea intelligendum

Mercurius est liquor ille acidus, permeabilis, penetrabilis, æthereus ac purissimus, à quo omnis nutricatio, sensus, motus, vires, colores, senectutisque præproperæ retardatio. Confertur elemento Aëris & aquæ: illi quidem, quatenus caloris vicinia alteratus facilê in auras abit: huic, quatenus vt ea difficulter proprio; facilè autem alieno termino continetur. Mercurius.

Sulphur est balsamum illud dulce, oleaginosum & viscidum: natiuum partium calorem conseruans, Sulphur

omnis vegetationis, accretionis & transmutationis instrumentum, odorum tum gratorum, tum ingratorum fons & origo. Assimilatur igni, propter flammam, quam facilè concipit: vt omnia resinosa & oleaginosa alia: eique hoc peculiare est, quod habeat vim leniendi & extrema contraria conglutinandi. Sicut enim numquam tenacius lutum confeceris ex aqua & arena, nisi calcem aut aliquid glutinosi commiscueris: ita nec Mercurius volatilis & sal fixus coire in vnam substantiam tenaciter possunt: nisi vinculo & copulâ Sulphuris, quod vtriusque principij particeps, Salis siccitatem & Mercurij liquiditatem, sua viscositate; Salis densitatē & Mercurij permeabilitatem, molli sua fluiditate; Salis amaritudinē & Mercurij aciditatem dulcedine sua contemperat.

Sulphuris proprium.

Sal.

Sal est corpus illud siccum, salsum, res mistas à putredine defendens, mirabiles dissoluendi, coagulandi, detergendi & euacuandi facul-

facultatibus pollens : à quo omnis rerum soliditas, determinatio, sapores & aliæ infinitæ virtutes. Analogia respondet terræ : non qua hæc est frigida & sicca ; sed qua elementum hoc est firmum, fixum, & generationis corporum omnium subiectum.

Sunt autem dicta principia, propriè loquendo, nec corpora ; quia planè spiritualia, ob cælestium seminum influxum, quo impregnata sunt : nec spiritus ; quia corporei : sed inter vtramque naturam ambigunt : variisque nominibus à Philosophis insigniuntur, vel saltem his ad illa alluditur : vt ex sequenti tabella videre est.

Principia Chymica inter corporis & spiritus naturam ambigunt.

Sal	Sulphur	Mercurius
Sal cōmune,	Sal Petræ,	Sal Armoniacū
Acerbum & amarū,	Dulce,	Acidū
Corpus	Anima	Spiritus
Materia	Forma	Idea
Patiens	Agens	Informans aut mouens
Ars	Natura	Intelligentia
Sensus	Iudicium	intellectus

Materiale Spirituale Gloriosum.

Verùm enim vero omne corpus mistum in hæc principia, sacro ternario (ita secundum Pythagoricos omne & omnia tribus terminãtur) constantia recludi posse & consumi; etsi validis rationum momentis comprobari posset: tamen eas omnes euidentiâ longè superat inspectio ocularis: ac proinde exemplis, ex vario mistorum genere desumtis, omnem rem in tyronum gratiã dilucidabimus. Exordiamur autem à lignis viridibus, quæ si cremes: egredietur primò aquosum quiddã, quod ignis flammæ concipiendæ planè inidoneum est, & in fumum conuersum si colligatur, in aquam resoluitur, (atque hac ratione è flamma potum petere, non impossibile, diciturque Mercurius: deinde exibit oleaginosum quiddam facilè inflammabile, quod in vapores resolutum, si cohibeatur, in oleũ abit, vocaturque Sulphur: tandem remanet siccum & terrestre, quod ex cineribus, aquæ beneficio extrahitur,

hitur, inque humido & frigore sol-
uitur; calore autem concrescit, Sa-
lisque nomen obtinet. Ita lac sub-
stantiam continet sulphuream bu-
tyrosam, deinde Mercurialem se-
rosam, & tandẽ salinam caseosam.
In ouis albumen Mercurium exhi-
bet: vitellus Sulphur, pelliculæ &
putamina Salem, ita ex lini semine
oleum elicimus expressione: aquã
ab oleo separatione: Sal ex fecibus
relictis extractione. Pari ratione ex
Garyophyllis, aqua Mercurialis
præstantissima, oleum Sulphureũ
excellentissimum, & ex fecibus sal
educitur. Sic Nitrum in aquositatẽ
dispescitur, pinguedinem & salem.
Non secus ex sale marino, produci-
mus Mercurium γλυκύπικρον, dul-
ces cristallos sulphureæ planè na-
turæ, & tandem ipsum sal fixissi-
mum. Ex Antimonio elicitur Regu-
lus, qui eius Mercurius: deinde ru-
brum sulphur, flammam concipiẽs:
& tandem Sal, qui vomitiuus. Atq;
sic de cæteris idem esto iudicium.

Notandum est autem primo: nul-

Nullum principium planè simplex est.

lum prædictorum principiorum simplex atque solum, quod de reliquis non participet, reperiri. Mercurius enim continet substantiam sulphuream atq; Salinam; Sulphur substantiam salsam & mercurialē: Sal verò substantiam oleaginosam & mercurialem. Deinde obseruandum etiam est: quod in spagyrica mistorum ἀναστοιχειώσει, præter priora tria commemorata principia verè actiua, duo alia resultent corpora, quæ principiorum numero à Chymicis non adscribuntur: quòd illorum tantum sint, quasi integumenta, omnique δυνάμει Hippocratica destituta: quorum alterū siccum, Terra arenosa est, siue cinis elotus, vocaturque Terra damnata & Caput mortuum, nulla vi alia præditum, nisi siccante & emplastica, quodque facili negotio in vitrū abit: alterum humidum & accidentaliter aëreum, nempe phlegma insipidum & inodorum, quodque tantū humectat, citra vllam aliam ἐνέργειαν aut actiuitatem medicam

Caput mortuum & phlegma non sunt principia.

CA-

CAPVT III.

De Calcinatione.

SOlutionis species duæ sunt: Calcinatio & extractio.

Calcinatio est misti in calcem solutio. Calcinatio.

A Gebero definitur: quod fit rei per ignem puluerisatio, per priuationem humiditatis, partes consolidantis. Per Calcem autem intelligunt Chymici, quemlibet puluisculum tenuissimum, ablatione superfluæ humiditatis (præsertim ex mineralibus) factum. Quando verò puluis vel calx planè redditur impalpabilis, ad sensum subtilissimus, instar tenerrimæ farinæ: tum Alcohol appellitant: hocque vocabulum etiam ad subtilissimum vini spiritum, sæpissimè reiteratis destillationibus rectificatum, commodè exprimendum transferunt; cum Alcohol vini indigetantes. Calx Chymicorum. Alcohol. Alcohol vini.

Fitq; vel corrosione; vel ignitione.

Corrosio est misti calcinatio, per res corrosiuas.

Fit hæc varijs modis: potissimũ tamen quatuor: videlicet Amalgamatione, Præcipitatione, Stratificatione & Fumigatione.

Amalgamatio.

Amalgamatio, est corrosio metalli, per hygrargyrum.

Fit: quando metallum, excepto ferro, in tenues bracteas vel laminas ductum, cũ octo partibus plus minus Mercurij commiscetur, vt fiat massa vndique sui similis, ad metalli vnitatem soluendam. Hydrargyro enim euaporato super igne: metallum instar tenuis calcis relinquitur.

Præcipitatio.

Præcipitatio, est corrosio per aquas fortes.

Fit quando corpora, liquori corrosiuo immerguntur, & postmodũ corrosa & soluta, vel aquæ fortis abstractione, vel alio modo, in calcem repercutiuntur.

Stratificatio.

Stratificatio, est corrosio per pulueres corrosiuos.

Fit: cum crucibulum, pixis, vel olla metallo laminato & pulueribus corrosiuis repletur: faciendo

S. S. S.

S. S. S. hoc est, ponendo aliquid de puluere corrosiuo in pixidem, & huic supersternendo tenuem laminam corporis metallici, & sic pergendo, donec vas referciatur. Postea ponuntur carbones per circuitum, vel datur ignis reuerberij, paulatim augendo, vt res postulat. Dicitur etiam.

Cæmentatio, eique affinis est. **Cęmentatio.**

Commixtio, quâ corpus corrodendum cum pulueribus corrosiuis commiscetur, & igni postmodum admotũ in calcem redigitur. **Cõmixtio.**

Fumigatio, est corrosio metalli per fumum vel vaporem acrem. **Fumigatio.**

Fit hæc varijs modis. In genere scire sufficiat: quod corpus metallicum in lamellas reductum, & per fumum calcinandum suspendatur, vel super aquas fortes, acetum, vel vaporem plumbi liquefacti, vel mercurij, vel similium rerum acrium: vti vulgo cerussam parare consueuerunt.

Ignitio, est calcinatio per ignem. **Ignitio.**

Estq; vel Cinefactio, vel Reuerberatio.

Cinefa-ctio. Cinefactio, est ignitio, quâ corpora vegetabilia & animalia in cineres, igne violentiori rediguntur.

Reuer-beratio. Reuerberatio, est ignitio, quâ corpora, igne viuo, in furno reuerberij, calcinantur.

Desicca-tio humiditatis natiuæ. Huc pertinet & DESICCATIO humiditatis natiuæ, vt fieri solet in sale, vitriolo, alumine & similibus.

CAPVT IV.

De Extractione.

Extra-ctio generaliter conside-rata. Extractio est species resolutionis, quâ corporis mixti partes subtiliores à crassioribus segregantur.

Estque duplex: vel generaliter; vel specialiter sic dicta.

Generaliter sic dicta, fit dupliciter: cùm ascensione & descensione; tùm modo intermedio.

Estque illa vel sicca, vel humida. Sicca, Sublimatio; hæc Destillatio dicitur.

Subli-matio. Sublimatio, est extractio partiū sub-

ſubtiliorum ſiccarum, per ignem in ſublime eleuatarum, & vaſi adhærentium.

Fit: cum res ſublimanda præparatur, vt decet, nempe vel lotione, vel calcinatione, toſtione, coctione vel ſimiliter; & poſtmodum vel ſola, vel alij materiei permiſta matulæ inferius rotundæ aut latę, vt media tantùm eius pars repleatur, imponitur, cumque hac aludel extra fornacem in altum protuberans, luto ſalſo conglutinatur: cui alembicus cæcus in medio vertice perforatus, vt ſpiritus humidi per foramen illud exhalare queant, ſuperſternitur. Datur poſtea ignis per gradus: oculuſq; alembici, cum humiditas omnis expirauit, (id, quod vel vitro vel lamina aliqua ferrea polita, quando ea adhibita halitu non amplius inficitur, animaduerti poteſt) luto clauditur, ignisque ad ſpiritus in ſublime pellendos intenditur.

Cum igitur ſecundum Geberũ, Sublimatio ſit rei ſiccæ per ignem ele-

eleuatio, cum adhærentia vasis: patet: quam male vulgo Destillatio & Sublimatio confundantur: & aquæ, quæ destillatæ sunt, sublimatę vocitentur. Deinde notandum etiam est; quod hæc operatio Chymica, non nouum sit inuentum; sed & veteribus cognitum. Ita enim Cadmia paratur, teste Galeno & Dioscoride; & ex hac Pompholyx & Spodium, ijsdem testibus.

Destillatio. Destillatio, est partium humidarum in halitus à calore extenuatarum atque leuatarum extractio.

Verùm esse, quod Aristoteles 4. Meteor. dicit: μιμεῖται ἡ τέχνη τὴν φύσιν: id vel ex hac operatione praxeos Chymicæ vulgari constat. Sicut enim vapores ex terra, radijs Solaribus in mediam aëris regionē subuecti, eiusque plagæ cælestis frigiditate densiores factæ, in pluuiā facessunt: ita & Chymicus artifex, ex rebus halabilibus & vaporabilibus, ignis ministerio, tenuium spirituum à crassioribus partibus separatione, & ad frigidas capitelli came-

cameras eleuatione, essentiam earum, forma liquoris elicit: Sic in humano corpore, cum ἀναθυμιάσεις ex inferioribus partibus, in aëream microcosmi plagam, tanquā in alembicum efferuntur: eius frigore, in excrementum pituitosum & mucosum condensantur: vnde postea perennis eius in nares, palatum, aut alias corporis partes fit destillatio & defluxio. Hinc fit: quod in ciborum elixatione, ollas operculo claudamus: vt quidquid vaporum in aquam concreuit, in suam originem postliminio reuertatur. Et quando dapum calorem fouere volumus: patinas, quibus eę apponuntur, alijs cooperimus paropsidibus; vnde vapores ciborum, ab illarum ἀντιπεριστάσει frigida incrassati, globatim delabuntur.

Estque Destillatio, pro diuerso vasorum positu: vt alias multas differentias taceam, vel Recta; vel Obliqua. Illa fit per alembicum aut vesicam, hæc per retortam, in rebus præsertim spiritus contumaciores fouentibus. Huc

Huc pertinent Rectificatio & Cohobatio.

Rectificatio. Rectificatio, est repetita liquorum destillatio ad eos magis purificandos & exaltandos. Perficitur tamen hæc etiam quandoque Digestione.

Cohobatio. Cohobatio, est destillationis reiteratio, quâ liquor destillatus rursus fecibus reaffunditur, & denuo destillatur. Fit auten fecibus priùs tritis, & humore, paulatim vt macerentur, imbutis.

Extractio generaliter sic dicta, quæ fit descensione, est duplex: vel calida; vil frigida.

Destillatio per descensum calida. Calida est, quâ partes subtiles â grossis per descensum, mediante igne, separantur: vnde etiam destillatio per descensum dicitur, & in picis confectione adhibetur: cum ex strue tædarum concisarum, obstructis vndique spiraculis, igneq; intra aceruum succenso, pix defluit, vti videre est pud Plin. & Matthiol. qui operationem hãc exactê describunt.

Eri-

Frigida eſt, quà qer deſcenſum abſque igne, partium ſubtilium à craſsioribus fit ſeparatio.

Eſtq; vel Filtratio, vel Deliquiũ.

Filtratio eſt, quâ humores aquoſi per tritorium, aut chartam emporeticam, in modum infundibuli conuolutam, aut manicam Hippocratis, laciniam, aut ſimile quiddã, relictis in filtro aut vaſe, partibus craſsioribus, percolatur. Filtratio

Deliquium eſt, cum immundæ calces, ſales, & ſimilia liquabilia, ſeu per ſe, inclinatæ tabulæ marmoreæ aut vitreæ imponuntur, vel ſacculo incluſæ ſuſpenduntur: vt in aëre vapido tabeſcentia, purum ſuccum emittant. Fit tamen interdum: vt nulla fiat partium ſegregatio per deliquium, vti quando ſales repurgati aut ſimilia in cellam aut alium locum frigidum humidum collocantur, & ab humiditate externa, quæ in ea promtê ſe inſinuat, in liquorem, qui in ſubiectum vas deſcendit & defluit, reſoluuntur. Deliquium.

Extractio, quæ fit modo interme-

medio, eſt qua rerum liquidarum vel ſiccarum humectatarum partes puriores ab impurioribus, ſine deſtillatione & ſublimatione ſeparantur.

Species illius tres ſunt: Digeſtio Putrefactio, Circulatio.

Digeſtio Digeſtio eſt, qua res calore digeſtiuo, ad modum naturalis ciborum digeſtionis in ventriculo, coquuntur ſiue maturantur.

Qua ratione enim ventriculus, calore ſuo moderato, cibos crudos exceptos digerit, & in Chylũ concoquendo tranſmutat: vt ſecluſis fecibus & in inteſtina amandatis, ex illo ab hepate, benignioris puriorisque ſubſtantia fiat extractio: ita etiam per calorem cuiuis rei competentem, Digeſtio ſubtilia à groſsis ſeparat; quæ craſſa ſunt, incidit & attenuat: quæ cruda, coquit: quæ acerba, mitigat ac edulcorat: adeoque omnia taliter elaborat: vt ex digeſtis copioſior ſemper eſſentiæ meſsis ſperanda ſit.

Adminiſtrationem eius, doctiſ-

ſimus

ſimus Libauius deſcribit hunc in modum. Res digerenda vaſi tanquã ventriculo includitur, vndique ſtipatis acceſsibus, niſi cum diuaporatio eſt coniuncta, vt in empyreumatis correctione, coagulatione & ſimilibus. Tunc enim exiguum foramen in operculo relinquitur, & iuſtum tempus obſeruatur, ne quid de ſubſtantia pereat. Quod ſi eſt merus ſuccus aut liquor: res plana eſt. Sin minutal. herbarum & ſimilium: vel proprius ſuccus reliquendus eſt, vel foris analogus humor addendus: quod tamen nonnunquã fit etiam in diuerſi generis liquoribus, veluti cum olea digeruntur cũ vini ſpiritu, &c. Vbi procliuitas eſt ad putredinem, nec adiectum menſtruum ei ſatis cauere poteſt: (Non enim debet fieri putrefactio: cum quid digerimus; licet digeſtio poſſit eſſe ad eam via) ſal addendum eſt, ita apparatum vas collocetur in foco digeſtorio caloris competentis, ibique ſinatur vſque ad quæſitum finem, qui diuerſus eſt: pro

mul-

multiplici vſu digeſtionis. Exempli gratia : Herbæ recentes ſuo ſucco madidæ, è quibus deſtillatione elicienda eſſentia eſt, macerantur triduo; ſiccæ vino reſperſę, ſeptendio: ſemina & aromata dimidum menſem : Radices per menſem : ſiquidē ſunt ſiccæ : mineralia per menſem philoſophicū, qui eſt dierum quadraginta, aut etiam diutius, pro firmitate & ratione menſtrui. Quædam bis macerantur, aſperſa vino græco, vt aromata aliquando, quæ irrigata vſque ad ſiccitatem digeruntur : poſt pulueriſata & denuo conſperſa macerantur ſecundô. Ita ſoliditas & raritas etiam diſcrimē facit. Aquæ deſtillatæ digerendo ad Solem, rectificantur per mediū menſem, vaſe clauſo, ita vt duę partes ſint plenæ, tertia vacua : & nonnunquam arenæ infodiatur parte vitri tertia, id quod in frigidis potiſsimum ſpectare iubent artifices. Calidæ verò aquæ & olea rectificantur in arena frigida, item tertia parte ſepulta, &c. in cella vapida

Menſis philoſophicus.

per

per mensam. Si humor alienus addendus: talis esto, qui digestionem iuuet, citra corruptionem substantiæ. Et hic, si est alienior, separatur officio peracto: sin paucus, & familiaris, aut etiam alterabilis in naturam digesti, relinquitur. In densis est acrior & nonnunquam corrosiuus, vt acetum, vini spiritus, vinum forte, &c. In alijs mitis, vt aqua destillata, pluuia, rosacea &c. nonnunquam oleum certi generis. Interim quæ alienæ naturæ sunt, & per digestionem secessum fecerunt, separantur.

Ancillatur autem Digestio non tantum destillationibus aut extractionibus, verum etiam rectificationi, coagulationi, fixationi, calcium per aquas fortes præparatarum edulcorationi, & appellatur Maceratio: quia hæc etiam vim habet penetrandi, rerum compagem reserandi, & impuritates separandi. Maceratio.

Putrefactio est, quâ mistum per putredinem naturalem, humore, siccum terminans vincente, & externo Putrefactio.

terno

terno calore fortius; quam interno operante, resoluitur, ad essentiam ab heterogeneis extrahendam & segregandam.

Modus est talis: Quod putrefaciendum est, præparatur vt decet, eique in cucurbita vitrea, si vel siccum sit, vel humiditate ad putrescendum sufficienti non abundet: ὄχημα quoddam seu menstruum (ita in genere è mense putrefactionis, liquor omnis appellatur, rerũ extractioni inseruiens: siue is sit eius rei proprius, siue analogus, siue aqua) conueniens, quod excessu suo nisti siccitatem auferat: τιν μῖξιν referet: exeuntem essentiam ad se alliciat: eamq; integram & incorruptam, ad extractionem vsq; conseruet, superfunditur: & ne calor cum suo humido exspiret; vas Hermetici clauditur: postea in ventrẽ equinum, aut eius vicarium ponitur, eiusque calor ad tempus præfixum conseruatur.

Menstruum quid.

Proprium autem putrefactionis est: & calores, & odores, & sapores rerum

Putrefactionis propriũ.

rerum immutare, earumque natura veteri destructa, nouam generare.

Circulatio, est liquoris, ab elementis depurati, in pelicano, per varias circumuolutationes aut rotationes, quibus impuritates residuæ prorsus auferuntur, in gradum præstantiorem, conuersio siue exaltatio. Circulatio.

Fit ita: Sumitur liquor exaltandus, includiturque Pelicano aut vasi circulatorio, quatuor aut quinq; eius partibus relictis vacuis, & ponitur in fimum vel balneum, ad altitudinem liquoris attenuabilis, vel paullo profundius: adeo vt reliqua vasis pars in aëre frigidiore extet: vt à fundi & laterum calore fiat attenuatio; à verticis verò frigore, coagulatio: detineturque ita dictum vas, in calore moderato & continuò: donec Artista finem suum sit assecutus: fecibus, in fundo vitri, subsidentibus.

Huc non immerito referri posse videtur & FERMENTATIO: li-

cet interdum per eam, non tam fiat conspicua salubrium partium, a crassioribus segregatio; quàm potius ad nobilissimæ essentiæ extrahendæ dispositio.

Fermentatio.

Est autem axaltatio rei in substãtia, per quam mediante digestione, calor agens exuperat, inque naturam suam vertit patiens.

Cæterum quæ fermentãtur: sunt vel liquida; vel solida. Quæ liquida sunt: vel talia sunt simpliciter; vt aqua, vinum: vel spissa & mollia: vt mel, sapa. Liquida quæ sunt simpliciter talia, si sint simul calida, per se fermentantur, vt vinum, pyraceum, pomaceum. Quæ autem frigida sunt, vt succi expressi frigidi: opus habent additione rei externæ, vt fecibus vini, cereuisiæ, sale, vel aciditate aliqua, ad accelerationem ebullitionis & fermentationis. Spissa autem & mollia, sequentem in modum, fermentari possunt Recipe verbi gratiâ, mellis libras X. his adde libras quinquaginta aquæ. Stent in calore moderato, per diem

diem nāturalem: deinde lento igne simul bulliant, & despumentur. Tertia pars exhalet: vel cum liquor efferuescit: ouum imponatur recens: quod si sursum fertur, perfectæ coctionis signum est. Tum liquor ab igne remotus, calidê per duplicem pannum traijciatur, & ad solem, in vase idoneo, additis drachmis duabus Salis Tartari, vel salis communis, vel vncia vna alicuius aciditatis ponatur: & sic per quadraginta dies aut circiter, donec liquor sit clarus, viniquе odorem referat, bulliat. Tunc enim vas claudendum, & hydromel in cella vsui reseruandum Quæ solida sunt & dura: vt semina, triticum, fæniculum, anisum, baccæ iuniperi, aromata &c. comminui debent: ijsque aqua affundi: & sal proprius, vel analogus, aciditas, vel feces cereuisiæ viniue, ad fermentationis accelerationem addi: ita vt ad dolium rei fermentandæ pinta fecum adijciatur. Quæ verô durissima sunt, vt lapides: Hydromel vinosum.

prius calcinari, poſtea fermentari debent: vt in ſequentibus de corallis & plumbo dicetur.

Extractio ſpecialiter ſic dicta.

Extractio ſpecialiter ſic dicta eſt, quà è miſto, partes ſubtiliores & nobiliores à menſtruo aliquo apprehenſæ, elementari craſsitie in fundo relicta, extrahuntur: & in ſyrupi aut ſapæ conſiſtentiam, deſtillatione, vel euaporatione coagulantur.

Fit: cum materia tincturam habens, in menſtruo conuenienti infunditur, clauſoq; vaſe ad digeſtionem ponitur. Poſtea eo aperto mẽſtruum coloratum, per inclinationem ſeparatur: affuſoque alio, vas clauſum, ad digeſtionem rurſus ponitur: idque toties repetitur, donec menſtruum non amplius tingatur. Porro depletiones filtrantur, circulantur, & coagulantur, menſtruo ad oleiformem conſiſtentiam, vel etiam interdum ad ſiccitatem, pro rei natura & vſu, detracto.

CAP.

CAPVT V.

De Coagulatione.

HActenus dictum eſt de ſolutione, eiuſque ſpeciebus: ſequitur nunc de coagulatione.

Coagulatio, eſt principalis operationum Chymicarum altera, qua res molles & liquoroſæ, è conſiſtẽtia tenui fluidaque in ſolidam, per humiditatis priuationem cogũtur. Coagulatio.

Hæc etſi ferè inſeparabiliter cũ ſolutionis ſpeciebus, vti præcipitatione, amalgamatione, ſublimatione, deſtillatione &c. cohæret: tamẽ ea peculiariter fit:

Primò exhalatione: qua humor à re coagulabili expirat.

Secundo coctione; qua res liquidæ ad ſolidiuſculam conſiſtentiam coquuntur.

Tertiò congelatione; vt cum criſtalli in cellis à frigore producuntur.

Quarto fixatione: qua res ignem fugientes & volatiles, vt in eo fixæ perſeuerent, aſſuefiunt: id quod ſit

vel medicinæ fixæ additione; vel misturis, vel sublimationibus, cæmentis &c. pro cuiusq; rei natura.

CAPVT VI.

De lutatione.

ORdinis ratio postularet, vt nũc fornaces, vasa, variamq; supellectilem Chymicam, vt & ignium diuersorum regimina describeremus Verùm cum hæc oculari inspectione potius, quàm præceptis & regulis addiscantur: silentio illa breuitatis causâ prætereunda, & pauca tantum de lutamentis Philosophicis subiungenda duximus.

Pro fornacibus, construendis.

Recipe terram pinguem, cuiuscunque coloris sit: misce & subige cum arena, fimo equino, & aqua salsa.

Pro retortis loricãdis: quamuis ego nec vitreas, nec terreas vnquam lutare soleam: seu destillẽ per arenam seu per ignem nudũ; seu per reuerberium clausum; seu ignem suppressionis.

Reci.

Recipe argillam figulinam, stercus equinum lotum & exſiccatum, farinam laterum, & ſquamam ferri, miſcendo & cum aqua communi ſubigendo.

Lutum ſapientiæ, ad ſpiritus ſubtiliſsimos arcendos.

Fac lutum ex calce viua, & albumine oui, in aquam redacti, ſimul miſcendo, & cito applicando, quia facilè exſiccatur.

Pro vitris & hydrijs fractis conſolidandis.

Recipe boli Armeni, Minij, Ceruſſæ, ana partes ęquales: reduc in puluerem ſubtilem, & cum oleo lini vel vernice liquida tempera.

Pro vitris ſimul lutandis.

Vſus ſum feliciter vſque in hanc horam veſicis porcinis, vel bouinis pro alembico cum cucurbita lutando, tam in deſtillationibus aquarum; quam ſpirituum acrium & acidorum.

Pro roſtro alembici cum recipiente lutando.

Recipe ceræ vnciam I. reſinæ, co-

lophoniæ ana drachmam 1. liquefcant fimul in fictili : quibus adde modicum olei oliuarum, mifcendo baculo, vt incorporentur, poftea ollam ab igne remotam imple frigida, & etiam manibus fubige.

Pro retortis cum recipientibus collutandis, in deftillatione fpirituum acrium.

Lutum pro retortis loricandis fubige cum aqua falfa; vel mifce cum colophonia puluerifata, & applica.

TYROCINII CHYMICI.

LIBER SECVNDVS.

ACTVM eſt ſuperiori libro, de Solutione & Coagulatione in genere: nunc in ſequētibus de operationum illarum effectis tractaturi ſumus: licet in ſpecie, quomodo ſingulorum corporum miſtorum clauſtra reſeranda ſint, monſtrari debeat: id quod etiam præſtare conaremur: ſi nobis integrum Chymiæ ſyſtema, & non tyrocinium conſcribere propoſuiſſemus. Sunt autem ſolutionis & coagulationis

effecta, siue vt à quibusdam appellantur, species Chymicæ, vel liquidæ, vel molles, vel duræ. Ad liquidas referri posſũt: atque ex floribus herbis radicibus, corticibus, seminibus, lignis: aquæ fortes; Spiritus, acetum: olea; tincturæ liquidæ. Ad molles: balsami, extracta varia, tincturæ molles. Ad duras: Sales, flores, magisteria, calces, croci tincturæ siccæ.

CAPVT I.

ANtequam ad ipsas liquorum formas quæ vt plurimum destillatione fiunt, parandas, nos accingamus: generales quidam canones præmittendi videntur: quorum hic est.

PRIMVS.

Canones ad destillationis doctrinam necessarij.

Vasa, in quibus destillatio fit, non sint plumbea. Hæc enim qualitate maligna liquores inficiunt, eos vomitiuos reddunt, sapores immutãt natiuos, & nonnunquam ipsamet à vaporibus acribus ex re destillanda exspirantibus, corroduntur. Et si

Gale-

Galenus, alijque Medici ſapientiores, aquam, quæ per canales plumbeos fluit, improbant, propter malignitatem, viſceribus internis valde infeſtam, quam inde contrahũt: de aquis, in vaſis plumbeis deſtillantis quid ſentiendum ſit: patet præſertim, cum non rarò, quando per aliquot dies, eiuſmodi ſtillatitij liquores immoti ſteterunt, in fundo ceruſſa ex plumbeo alembico abraſa; imprimis ſi experiundi gratia, guttam vnam aut alteram ſpiritus Vitrioli infundas, reperiatur. Quod autem de plumbeis vaſis dictum: pari ratione & de ſtanneis, æneis, ferreiſque intelligi debet: niſi fiat deſtillatio in veſica ænea, vbi quæ deſtillantur, citò effluunt.

II.

Vitra, quò altiora, eo meliora. Sic enim vna deſtillatio plus præſtat quam tres rectificationes. Sint autem cucurbitæ vt plurimum altæ duos cubitos.

III.

In omni destillatione, vasa non nimis refarcienda. Tutius operaberis: si cucurbitas ex quarta parte: & retortas ex mediâ aut circiter: vesicam verò æneam, ex tribus partibus repleueris.

IV.

Res flatulentæ, vt cera, resina, & similia, sicut & ea, quæ facilè ebulliunt, minore imponantur quantitate, & magnis vasis destillentur, & quidem sale, arena, aut similibus additis.

V.

Destillatio per balneum, conuenit rebus leuioris compagis. Cauẽdum tamen in herbis maximè calidis: vt in absinthio, saluia, roremarino & similibus, ne nimis leui calore vtamur, & non tam essentiam: quam phlegma inutile proliciamus. Sed in lactuca, endiuia, & similibus tenuioris substantiæ, calor moderatus adhibendus: & sufficit interdum Balneum roris, quod neque empireuma imprimit, neque partes

partes aëreas tenuiores dissipat.

VI.

Destillatio per cineres vel arenam, competit rebus consistentiæ solidioris, vt seminibus lignis, radicibus, &c.

VII.

Per vesicam, non tantum tenuia destillantur; sed & alia, quæ sunt firmioris texturæ, in suo tamen menstruo præmacerata.

VIII.

Destillatio per retortam, non tantum spiritus grauiores è mineralibus elicit; sed etiam ê tenuioribus, vt lignis, seminibus, radicibus, gummis, resinis, &c. aquas & olea extrahit.

IX.

Herbæ recentes succulentæ cum destillandæ sunt, tundantur, succusque exprimatur, & postea per calorem Balnei in cucurbita alta destilletur.

X.

Herbæ, vel sua temperie, vel tēpore siccæ, tundantur: & aqua com-

muni, vel propria, vel roris Maij, vel vino irrorentur. Copia autem menstrui tanta sit, quę macerationi sufficiat: sin plus affundatur, tota quantitas non abstrahenda. Facta maceratione ad placitum, per balneum destilletur: aut si per vesicam destillationem instituis: adde ad quamlibet libram herbarum, libras sex aquæ, & destilla, vt artis est.

XI.

Eodem modo per vesicam, quicquid est aromaticum, siue sint radices, siue cortices, siue ligna, siue semina, siue folia, siue flores, destillantur: oleum simul cum aqua elicitur.

XII.

Sunt quædam, quæ vehementem ignem postulant: sed tamen, ea, non nimis violento vrgēda sunt: ne natura eorum prorsus corrumpatur.

XIII.

Detur opera: ne lutum, quo vasa destillatoria conglutinantur, expiret, & liquorem aliena qualitate inquinet: præsertim cum ignis violentior adhibendus. Aci-

XIV.

Acidorum deſtillatio hoc peculiare habet: quod ignobilior pars ſemper priùs egreditur, & nobilior vltimo. Vnde in eorum rectificatione, quod primo elicitur, tanquam phlegma ſeparandum.

XV.

Si aquæ empyreuma ſeu fomitem quendam igneum valdeq; calidum, per exiguas partes diſperſum, redoleat: corrigitur illud ſi vitrum in locum frigidum humidum collocetur.

XVI.

Cum liquores per B.M. deſtillati, inſolatione rectificandi ſunt: tũ vitra ex duabus, vel ad ſummũ tribus partibus repleãtur, & membrana, quâ ea claudi conſueuerunt, acu pertundatur: vt factis perſpiraculis, phlegma inutile exhalet.

XVII.

Deſtillatio tamdiu continuetur, donec liquor egrediens non ſentiat amplius rem impoſitam.

CAPVT II.

DE aquis ex floribus, herbis, radicibus, corticibus, seminibus, lignis.

AQVA ROSARVM.

Varijs hæc præparatur modis. Alij sumunt rosarum q. s. easque per triduum, in balneo digestas, vapore aquæ calidæ destillant. Alij absque digestione præcedanea, aquam, ex ijs in alembicum coniectis, eliciũt. Alij per cineres destillant: vbi tamen maxima opus est cautione & circumspectione, ne empyreumate liquor stillatitius inficiatur. Alij lucro magis quàm valetudini hominum intenti, eas integras, vt decerptæ sunt, cum magna aquæ copia, per vesicam æneam destillant: ac ex triginta rosarum libris, centũ, aquæ adoratæ venalis extrahunt. Alij flores tusos, absque menstruo, aut eo saltem tam pauco, vt ad irrigationem sufficiat, modico balnei calore destillant: & ad vim refrigerantem, tantò expeditius euocandam,

dam, vna deſtillatione, quam præcedit irrigatio, ex aqua communi vel roſacea veteri, aut ad virtutem confortantem & fragrantem prolectandam, pluribus in deſtillata aqua infuſionibus vtuntur. Nos ita eam parandam ducimus: diſtinguẽdo, inter roſas albas, & incarnatas. Ex illis enim vt plurimum vis refrigerans petitur: ac propterea pauca aqua pluuiali irroratæ in mortario marmoreo contundendæ ſunt: inde torculari ſuccus exprimendus & deſtillandus. Incarnatæ abſque irrigatione contuſæ, reponuntur in magno vaſe vitreo, in cellam: poſt triduum ſuccus exprimitur, qui per balneum deſtillatur. Hæc aqua eſt fragrantiſsima, quæque vel multos annos, odoris ſui fragrantiam conſeruat. Nonnulli recrementis eius aquam puram ſuperfundunt, & ita per octiduum maceratam, vel balneo, vel veſica deſtillant, quæ communi venali viribus & efficacia non cedit.

AQVA

AQVA ROSARVM ARDENS.

Sicut ex alijs rebus omnibus, præſertim autem alimentoſis, aqua flagrans & fragrans, fermentationis beneficio, educi poteſt: ita etiam ex roſis, quæ vulgò ſtatuuntur frigidæ.

Porrò recipe roſas incarnatas cælo ſereno, cum rorido madore deſtituuntur, collectas: eas tere accuratiſsimè, & in cucurbitam vitream, quæ poſtea bene clauſa, in cellam reponatur, vt ibi fiat earum fermentatio, immitte. Cum iam acidum quiddam redolere videntur: ſume de floribus tritis q; v. & per balneum deſtilla: aquã inde extractam ſuperaffunde parti roſarum alij: & rurſus deſtilla, ſimilẽ in modum pergendo, donec omnis roſarum fermentatarum quantitas, per alembicum tranſierit; fecibus, quæ in fundo remanere ſolent, ſemper ſegregatis. Tandem omnem aquam ex roſis elicitam, per balneum deſtilla: & duodecimam ſaltem partem aut circiter abſtrahe, eamque ſi

vis,

vis, rectifica. Sic aquam habebis gratissimam & odoratissimam, quæque non minus promptê, quam spiritus vini, flammam concipiet.

AQVA CICHORII.

Recipe herbarum & radicum Cichorij, medio M[redacted] lectarum libras XII. tunde vel minutim incide: ijsque affunde aquæ communis libras viginti: & postquam per triduum maceraris: ex vesica libras saltem octo destilla.

AQVA FOENICVLI.

Recipe seminum fœniculi crassiusculê contritorum, libras quatuor: aquæ communis libras viginti quatuor: macera in loco calido: & adde Tartari vel Salis communis, vncias duas. Destilla postea per vesicam æneam cum refrigeratorio. Sic aqua cum oleo transibit, quod ab illo separandum.

AQVA CINAMOMI.

Recipe Cinamomi optimi crassê triti libram vnam; cui affunde aquæ rosaceæ & vini albi ana libras tres: macera in calore congruo fimi

vel

vel eius vicarij q. ſ. deinde deſtilla per balneum, ſeparando aquam primam, quæ eſt optima: ſecundam itẽ ſeorſim, vt & tertiam colligendo. Secundæ vſus poteſt eſſe ad macerationes pro menſtruo. Tertia, eſt phlegma inutile.

AQVA ACIDA QVERCVS, *Iuniperi, Guaiaci, Buxi.*

Recipe ferraturam quercus, aut ſcopem iuniperi, Guaiaci, aut particulas Boxi: deſtilla in retorta vſq; ad ſiccitatem: ſepara poſtea oleum ab aqua, per chartam emporeticã: aquam rectificam in arena, ſuper colcothar, aut ſalem marinum, aut proprios cineres: poſtea phlegma ab acido liquore ſepara, deſtillatione: tertiam ſaltem eius partem aut circiter vltimò aſſeruando.

Vſus eius eſt in corallis & perlis diſſoluendis, ad tincturas extrahendas.

AQVA CINAMOMI *compoſita.*

Macera & deſtilla Cinamomũ, vt ſupra: addendo radicũ Dictamni

Cre-

Cretici, Angelicæ, ana vncias duas. In hac aqua diſſolue ſaccharum album, quantum poteſt & digere per diem naturalem: poſtea aquam ſuperfluam deſtillatione ſegrega: donec ſyrupus placeat: cui adde aquæ vitæ rectificatæ vncias duas, & probè miſce. Eſt virtutis admirandæ in peſte & partu difficili.

CAPVT III.

De aquis fortibus.

AQVAE fortes, quæ & cauſticæ, chryſulcæ, ſeparatoriæ, & gehennæ nuncupantur: violento igne, ex atramento ſutorio, halinitro ſale Armoniaco; ſtibio, mercurio ſublimato, alumine, cinabari, &c. conficiuntur: quarum ea, quæ vim obtinet omnium maximê causticã & corroſiuam, STYGIA; illa verò, quæ aurum ſoluit. REGIA dicitur.

AQVA FORTIS COMMVNIS.

Recipe Vitrioli exſiccati libras duas.
Salis petræ repurgati lib. vnam:
Tere ſimul & miſce, deinde impone retortæ optimo luto loricatæ, &

col-

colloca in fornacem reuerberij, appoſitoque recipiente amplo deſtilla per gradus, ſpacio vigintihorarum. Cum ſpiritus albi & nebuloſi in receptaculo diſsipantur: finis adeſt: ſine pedetentim refrigeſcere. Aquam exemtam clarifica per argentum, hac ratione. Cape quartam qartem iſtius deſtillati: inijce puri argenti drachmam vnam, & ſolue ſuper prunis: ſolutionem infunde alijstribus partibus & lacteſcent: ſine reſidere: purum effunde. Si Regiam cupis: in vncijs quatuor huiu- communis: diſſolue vnciam vnam Salis ammoniaci, vel ſalis communis exſiccati: atque ea aurum ſoluet.

AQVA FORTIS PERPETVA & modus faciendi cinabarim.

Diſſolue mercurium in aqua forti adde ſulphuris partem ęqualem, deſtilla per retortam: & habebis aquam validiorem quàm antea, & cinabarim ad collum retortæ.

AQVA

AQVA PHILOSPHICA sive REGIA.

Recipe Nitri repurgati,

Salis Armoniaci ana vncias duas: Simul tere. misce & impone retortæ amplæ, cui appone magnum vas recipiens, commissuras retortæ cum recipiente leniter lutando: deinde destilla ex cineribus: donec omnes fumi, magna violentia agressi fuerint, nec guttæ vlterius ex retorta decidant. Tum retortam ita calentem exime, & materialia supradicta noua in eadem dosi repone, & misce cum capite mortuo, destillando vt supra.

CAPVT IV.

De Spiritibus.

SPiritus participant partim de aqua, partim de igne: & prout sunt vel aquosiores, vel magis oleaginosi: pro eo etiam vel aqua, vel oleum dicuntur. Qui tamen è mineralibus prolectantur: olea vt plurimum vocantur. Inter spiritus autem animalium, excellit spiritus sanguinis humani;

mani; vegetabilium, ſpiritus vini; mineralium, ſpiritus vitrioli.

SPIRITVS VINI.

Digere vinum generoſum in fimo vel eius vicario, in vaſis circulatorijs iuſtæ amplitudinis, per octo vel decem dies: poſtea vaſe refrigerato effunde illud in cucurbitas altas, quibus ſuperpone alembicos roſtratos, iuncturis cum veſicis porcinis vel bouinis bene munitis; deſtilla, vt artis eſt, per B. M. Primo
Spiritus egredietur ſpiritus, quem ſepara, mutato recipiente: deinde vrge phlegma vſque ad mellis liquidi ſpiſsitudinem: feces per retortam deſtilla, dando ignem per gradus:
Oleum. & accipies oleum pingue. Ex capite mortuo Sal elicies, phlegma ſu-
Sal. perfundendo, digerendo, filtrando & coagulando. Quod ſi præſtantiorem ſpiritum vini deſideras: rectifica eum, deſtillationibus ſæpius repetitis.

SPIRITVS TARTARI.

Recipe Tartari albi puri libras quinque, pone in retortam vitream

eique

eique in ignem cinerum collocatæ recipientem ſatis capacem adapta. Dato igne per gradus, primo ſpiritus egredietur, poſtea oleum, quæ rectificari debent, addito ſale Tartari, & poſt ad inuicem ſeparari.

Eſt egregium aperiens, vnde in menſtruis retentis, in paralyſi, ictero & ſimilibus affectibus mira præſtat. Vtuntur etiam in hydrope, cũ aquis aliјs hydragogis: in lepra; morbo Indico: pleuritide: angina: & exhibent à ſcrupulo vno ad duos in aquis conuenientibus.

SPIRITVS TEREBINTHINAE.

Recipe Terebinthinæ claræ q. p. Inde in veſicam æneam cum refrigeratorio aqua propemodum repletam. Sic elicietur ſpiritus, qui aquæ innatabit, & per B.M. rectificari poterit.

Vſus eius in medicina multiplex eſt. Tuſsim, phriſin curat: venenis peſtilentialibus reſiſtit: ventriculũ ab illuuie ſordida & viſcida mundat; vrinam prouocat odoram, inſtar violarum: calculum & arenas

pellit:ſtranguriam & vlcera veſicæ ſanat:neruoſas partes aperit & cõfortat:vaſa ſpermatica calefacit,& libidini ſtimulos addit,ſanguinem coagulatum diſſoluit:vterum purificat,ac propterea ſuffocationi matricis valde vtilis eſt, Extrinſecus, in contuſionibus maximus eius vſus & vtilitas.

SPIRITVS SVLPHVRIS.

Ponatur ſub campana vitrea,vas terreum cum ſulphure, quod accendatur. Ita verò vas ſubiectum ad campanam adaptetur: ne fumi egredientes flammam ſuffocent: ſed liberè in illam ſubuecti in liquorem denſentur,qui in ſcutellam appoſitam deſtillet. Ex libra vna,elici poteſt vncia vna, tantæ efficaciæ,vt Leonhardus Fierauant. eius intra corpus aſſumti vires non ſatis admirari poſsit.Dari vero poteſt,cum aquis appropriatis aut ſyrupis,ad guttas quatuor, quinque, ſex:& commiſceri cum electuarijs & pillulis, tam in morbis calidis, quam frigidis.Exterius etiam prodeſt

deſt ad dentium dealbationem; vlcera luis venereæ, gingiuarrum: verrucas: ani & cæterorum membrorum fiſtulas. Appellatur etiam oleum: ſed καταχρηςικῶς.

SPIRITVS V[illegible]RIOLI.

Tres ſunt Vitrioli ſpecies: viridis, alba, cærulea: participantes de natura ſalium, aluminum, ſulphurum, ſecundum magis & minus: prima quidem magis de ſale, altera de alumine; tertia de ſulphure: conſtantque ex parte aquea, terrea & intermedia, quæ, teſte Riplæo in Pupilla Alchimiæ, ſeparari non poteſt à ſuis extremitatibus, aquea, & terrea; niſi mediante mercurio, qui adſtipulante Gebero, quod naturæ ſuæ eſt, retinet, alienum reſpuens & igni exponens. Hæc ſubſtantia intermedia diaphans per ſublimationem exaltatur in candorem niueum occultè in ſe ſemen ſulphureum continentem inſtar vermiculi rubicundiſsimum: vnde in Turba dicitur; Mirati ſunt Philoſo-

loſophi, rubedinem in tanta albedine exiſtere. De hoc ſulphure, ita loquitur Geber. vigeſimo octauo capite Summę: Per Deum altiſsimum idipſum illuminat & rectificat omne corpus: quoniam eſt alumen & tinctura. Hęc eſt illa aqua vitę, aqua ſicca, quæ manus non madefacit, aqua congelata, Sal animatum, de quo Raimūdus Lullius poſt Alphidium: ſal non eſt niſi ignis, nec ignis niſi ſulphur, nec Sulphur niſi argentum viuum, reductum in illam precioſam ſubſtantiam, cęleſtem incorruptibilem, quam nos vocamus Lapidem noſtrum. Vnde etiam quidā, ad literas VITRIOLVM, ita alluſit: Viſitando Interiora Terrę Rectificando Inuenies Occultum Lapidem Veram Medicinam.

Porrò valde inter artiſtas controuertitur: vtrum inter tam varia Vitrioli genera, primas obtineat. Has alij Cyprio deferunt: alij Romano: alij Hungarico. Cyprium & Romanum meritò ſuſpecta eſſe debent: quod ſint ferè adulterata, ſophiſti-

phisticata, varia, diuersorum scilicet colorum, formarum, virtutum. Quod ad Hungaricum verò attinet & Galli & Germani mercatores, qui nobis Vitriolum quoddam cærulæum, diaphanum, aliquãdo subuiride, pro genuino & ex ipsa Pannonia allato vendunt, impudenter mentiuntur. Cum enim ante octo menses eò locorum me cõtulissem: vt auri argentique fodinas, quæ Schemnitij visuntur, intrarem, & mineralium metallorumque notitiam perfectiorem ex ἀυτοψία compararem; Illustris ac generosus Dominus de Bloenstain, generalis minerarum regni Hungarici Præfectus pro humanitate suâ eximiâ, mihi certò confirmauit: quod, etsi duo Vitrioli genera, album vnum valde aluminosum, ex quo aquas chrysulcas conficiunt; alterum cæruleum longè præstantius, reperiãtur: huius tamen minera, quamuis fertissima, planè non colatur: eò quod nunquam sint mercatores qui tale Vitriolum coëmtum in alienas

Antimonium vngaricum rarò in alias regiones adfertur genuinū.

terras aſportare dignentur. Idem & de Antimonio profitebatur, quod in auri fodinis reperitur copioſiſſimum. Illud autem iure miritoque cenſeri debet præſtantiſsimum, quod è Venere elicitur, aquæ beneficio, vt poſt[illegible]dicitur. Huic bonitate ſuccedit illud: quod cæruleum eſt: plus Solis in ſe continet: plus Martis in Venerem tranſmutat: & diutius ignis examina ſuſtinet, antequam vltimos reddat ſpiritus, vndecunque id afferatur.

Huius ergo Vitrioli recipe libras duodecim: calcina in vaſe terreo, igne moderato: donec omnis humiditas abſcedat. Vaſe refrigerato, maſſam quæ erit ſeptem circiter librarum, reduc in puluerem ſubtilem, cum libra vna circiter particularum eiuſdem teſtæ: & impone retortæ firmæ lutatæ: ita tamen vt tertia ad minimum pars ſit vacua. Eam in fornacem colloca reuerberij: adhibito receptaculo amplo, collique breuis deſuper lutato; & commiſſuris retortæ cum

reci-

recipiente, luto salso diligẽter munitis. Dein paropsidem terream latam, pedem vnum altam, & in fundo quadrangulariter perforatam, retortæ, vt æqualiter os fornacis claudat, superstrue: atque ad extremitates fornacis, cuiuscunque illa sit formæ, quadratæ rotundæue, lateres altitudine paropsidem adequantes adapta: spatiumq; inter lateres & paropsidem, quod intercedit, cineribus vsq; ad summum obrue. Tunc fac caminum ex quatuor laterum particulis, super testæ foramen quadrangulare, vt flamma, mediante tali vehiculo, liberius, cũ tempus fuerit, queat euolare. Orificium camini; sicut & cineritij ostiolum ita claudatur, primis quatuor horis, vt carbones furno impositi saltẽ ardeant, & nõ extinguãtur: quô paulatim & successiue retorta calefiat. Exinde sequẽtibus quatuor horis, calor augeatur: foramina, ijs singulis, supra & infra paulatim aperiẽdo: donec flãma per superiora incipiat erũpere, & retorta vndiq;

candeat Quod cum fit:cineritio & camino omnino apertis: per octodecim vel viginti horas ignis intendi debet: donec omnes ſpiritus egreſsi fuerint. Poſt biduum, lutum ſalſum & valde induratum, quod retortæ collum cum recipiente tenet colligatum, linteo madido, per horam, donec recipiens, abſque vitri fractione, abſtrahi poſsit, humecta: & poſtmodum phlegma à ſpiritu, deſtillatione per Balneum, aut blanda cinerum, ſepara. Sunt, qui poſt phlegmatis ſeparationem, ſpiritus ſuper corallos tritos ex arena rectificant.

Spiritus hic in febribus ardentibus, cum aquis appropriatis miſtus & hauſtus refrigerat: ſitim extinguit: humorum putredini reſiſtit. per vrinas & poros cutaneos operatur: Phlegma conſumit; craſſos & viſcoſos humores incidit: languentem appetitum excitat: & ſuccos roſarum, violarum, aliorumq; florum pulcherrimè tingit.

SPI-

SPIRITVS NITRI.

Nitrum, ſiue Sal Petræ miſceatur cum tribus partibus boli communis: & deſtilletur per retortam, ſpatio decem vel duodecim horarum. Ex libra vna Salis Petræ, accipies libram vnam ſpiritus: ſi bene operatus fueris.

Spiritus hic eſt verus ignis naturæ balſamicus: & prodeſt in colica, pleureſi, angina.

SPIRITVS ARDENS. *è Saturno.*

Calx Saturni ſiue minium, aceto deſtillato, vel eius ſaltem phlegmate perfunditur: poſtea per diem naturalem ſæpius agitando, ne in fundo vaſis concreſcat, digeritur: menſtruum detrahitur; aliudque, donec omnis ſalſedo abſtrahatur, ſubſtituitur. Depletiones filtrantur, & ex duabus circiter partibus euaporantur: criſtalli loco frigido expectantur, ſeparantur: in nouo aceto diſſoluuntur: filtrantur: & toties vt ſupra, coagulantur: donec ſufficienter ſale aceti, Armoniaco, tanquam

proprio fermento imprægnentur. Tali calore balnei, per mensem digeruntur: vt perpetuo instar olei in liquorem resoluantur. Destillentur postea per retortā, in arena: seruatis ignis gradibus, adhibitoque recipienti amplo, qui nisi diligentissimè cum retorta lutetur: tanta fragrantia totum laboratorium replēs deperit: vt non dubitem: quin ea omnium vegetabilium odoratorum simul congestorum & mistorum odores longè superet. Post destillationem, omnibus frigefactis: caput mortuum reperies nigerrimum, nullius momenti. E liquore egresso, separabis oleum flauum supernatans, & oleum sanguinis instar rubicundum, fundum petens. Phlegmate per reiteratas destillationes, ab aqua ardente separato: seruabis spiritum Saturni odoratissimum, tanquam balsamum pręciosissimum ad varios morbos, tam intra, quàm extra corpus vtiliter adhibendum.

Cæterum non è Saturno tantum arte

arte Chymica, ſpiritus eiuſmodi fragrans elici poteſt: verùm etiam ex omnibus alijs metallis mediante aqua illa viſcoſa minerali, quæ ſolius Vulcani beneficio, abſque vllius rei externę additione, breuiſsimo temporis ſpatio, educitur, & de qua Rhodianus in tractatu trium verborum: Mutatur iſte ſpiritus fumoſus, aquoſus & aduſtiuus in nobiliſsimum corpus, & nõ fugit amplius ab igne; ſed currit, vt oleum, &c. Recipit enim omnes qualitates metalli, cui induſtria ſagacis artificis immiſcetur, odorem, colorem, ſaporem, cum conſeruatione facultatis vegetantis: Et ſicut Rhaſes dicit: pro vt mutatur, mutat. Vnde cõſtat: quàm turpiter rerum Phyſicarum ignari ſint vulgares Miſochymici, qui odores, ſapores, & virtutes reliquas Medicas ſolis vegetabilibus vendicant, & metallica tãquam humano corpori infructuoſa, cane peius & angue fugienda exiſtimant.

CAPVT V

De Aceto.

ACETVM DESTILLATVM.

ACetum ſine digeſtione, eodem modo deſtillatur, quo & vinū: niſi quod phlegma vt in ommbus acetoſis alijs primò egrediatur; ſpiritus autem vltimò. Oleum & Sal pari ratione, vti de vino dictum, eliciuntur.

ACETVM ALKALISATVM.

Aceto ad mellis liquidi conſiſtē-tiam deſtillato, ſuperfunditur aqua communis, vt ad palmæ altitudinē emineat: digeritur in balneo per biduum: ponitur in loco frigido, vt criſtallos producat: aqua per inclinationem effunditur, aliaque donec omnis oleaginoſitas abſceſſerit, ſuperfunditur. Tum criſtalli ſæpius ſoluuntur in aqua bulliente, & coagulantur in frigido, vt omnino reddantur diaphani: acetumq; quartò deſtillatum, & ab omni phlegmate depuratum ijs ſuperfunditur: ita vt ad vnam libram criſtallorum, addā-tur quatuor aceti: & per arenam, in retor-

retorta, dando ſub finem ignem ſatis fortem, deſtillantur. Quo facto: feces calcinantur: fixum ſal elicitur acetumque ſale eſſentiali animatum rectificatur; & dein à ſale fixo, igne ſatis violento deſtillatur, reaffundendo toties ſuper id, quod in fundo remanet: donec totum ſal per alembicum aſcenderit. Tandem acetum hoc ſale proprio imprægnatum, per balneum bulliãs bis deſtillatur: accipiturq; acetum, ad duriſsima lapidum criſtallorũque corpora calcinanda, validiſsimum.

CAPVT VI.

De Oleis.

OLeum proprijſsimè dicitur de oleo ex oliuis expreſſo, omnis excedentis qualitatis experte: de reliquis verò, non niſi per ſimilitudinem. Omnia autem olea inter aẽris & ignis naturam ambigunt: & quò acriora ſunt; eò magis ignea quò minus acria, eò magis ætherea & aẽrea cenſentur.

OLEVM EX VITELLIS Ouorum.

Vitellos communitos in sartagine frige, igne temperato, donec rubescant & oleum remittant, continuò spatulâ lignea vel ferrea mouendo, ne adurantur. Oleum postea calidè exprime; & cum magna aquę stillatitiæ quantitate, per mensem in B.M. digere. Aliqui frixos sic vitellos, in lynteo, oleo amygdalarũ dulci madefacto includunt, & sub prælo exprimunt.

Matthiolus in Dioscoridem scribens, hoc oleum commendat ad asperitatem cutis, impetigines, fissuras labiorum, manuum, pedum, dolores vlcerum, articulorum & omnium locorum neruosorum. Præterea vtile est locis igne ambustis, & in membranis cerebri. Vlcera maligna cicatrisat & pilos generat.

OLEVM SALVIAE

Recipe magnam Saluiæ quantitatem, eamque per duas aut tres septimanas in vmbrem pone: postea per

per refrigerium destilla:&accipies aquam,quæ rectificari poterit: & oleum flauum.

Prodest in omnibus neruorum morbis; paralysi,apoplexia, conuulsionibus & similibus.

OLEVM CERAE.

Liquefac ceram, igne moderato: tamdiu stet in fusione: donec bullas vlterius non producat.Tum amotæ ab igne commisce duplum sui ponderis Salis decrepitati, & destilla per retortam,igne moderato. Ex libra ceræ, extrahes vncias duodecim olei.

Resoluit: attenuat ,penetrat , emollit,discutit: ac propterea vtile est apostematibus duris,& tumoribus frigidis.Sanat fissuras papillarum in mammis mulierum,& dolores earum mitigat. Vulnera etiam recentia consolidat: si ea bis de die inungas. Confert & in ambustis , commistum cum oleo ouorum.

OLEVM TEREBINTHINAE.

Recipe medullam,ex destillatio-

ne ſpiritus Terebinthinę reſiduam: eamque per cineres, in retorta, per ſe deſtilla: ſic vbi oleum extractum fuerit: reſtabit in fundo retortę Colophonia. Si digeras poſtea in balneo: vt de oleo vitellorum ouorum dictum eſt: omni empireumate ſpo liatur.

Calefacit, emollit, diſcutit, aperit, purgat, atque exterius loco veri balſami vſurpati poteſt in omnibus vulneribus, vlceribus cacoëtheis, inſanabilibus, fœtidis, vti fiſtulis, lupo & ſimilibus phagedęnicis, parotidibus, fracturis, contracturis &c. præſtat autem hæc non ſemper per ſe, & ſolum vſurpatum: ſed requiritur inſuper vt cum alijs, affectui curando idoneis, conuenienter miſceatur.

OLEVM CARYOPHILLORVM.

Recipe Caryphyllorum groſſe tuſorum libras quatuor, aquæ fontanæ libras quadraginta. Macera in loco calido q. ſ. adde Tratari vncias duas: deſtilla poſtea per veſicā æneā cum refrigeratorio: & habebis

bis olei vncias octo. Eodem modo destillantur macis, piper, ſemina aniſi, coriandri &c.

Confert frigidis ventriculi morbis, hepati, cordi, diarrhææ à cauſa frigida: ſpiritus melancholicos diſſipat, & clarificat craſſos. Extrinſecus vulnera recentia ſanat, & vices veri balſami obit.

OLEVM SACCHARI.

Recipe Sacchari albi groſſè tuſi vncias quatuor.

Aquæ vitæ vncias octo: aquam vitæ ſuccende in ſcutella, argentea vel figulina vitreata: in quã ſaccharum inijce, continuè ſpatulâ agitando, donec flamma ceſſet. Tũ adde aquæ roſaceæ vncias duas, Miſce.

Corroborat: & à pulmonum perfrigeratione, tuſsi laborantibus certo experimento opitulatur.

OLEVM TARTARI

Oleum hoc, præter modum ſuperius in ſpiritu eius, traditum: fit etiam per deliquium ponendo Tartarum ad albedinem calcinatum, in

cella

cella vel alio loco humido, donec resoluatur in oleum, quod postea filtrandum. Parari etiam potest: si Tartarum post calcinationem, in aqua communi dissoluatur, filtretur, coaguletur: & in loco humido donec resoluatur, collocetur.

Optimum est remedium in omnibus serpiginibus, vlceribus, præsertim autẽ venereis, tinea, scabie, verrucis. Faciem erugat & cutem reddit teneram.

OLEVM SVCCINI.

Digere libram vnam Succini triti, in vini albi libra vna. Tum adde manipulum salis præparati: destilla per retortam: seruatis ignis gradibus. Rectificatur, bis destillando, cum sale tantum.

Sacrum hoc oleum olim appellatum fuit: ob vires eius eximias, quas cum per se; tum cum alijs mixtum præstat: in epilepsia, apoplexia, melancholia, spasmo, vertigine, peste, calculo, frigidis capitis defluxionibus, cordis palpitionibus, animi deliquijs, ictero, difficultate respirandi,

di, dyſurijs, partu difficili, vteri ſtrangulationibus, menſium retentionibus, fluore matricis albo, vermibus, febribus.

OLEVM AD HEMICRANIAM *compoſitum.*

Recipe Rutæ manipulum vnum. Bulliat in libra vna olei oliuarũ, in olla noua, per horã dimidiã. Deinde funde illud in retortã, eiq; adde.

Terebinthinæ Venetæ vncias duodecim.

Colophoniæ vncias quatuor:

Deſtilla in arena. Aqua clara; quæ primum exit, & nullius momenti eſt, ſeparetur: poſtea igne per gradus aucto: oleum deſtillatione prolectetur, ſeorſim aſſeruãdum. Præſente paroxiſmo, parum de eo ad ignem calefiat: & goſſypio in eo humectato, frons & tempora, vt & ipſa pars dolens, cum cubitũ eundum eſt: inungatur.

OLEVM AD VTERVM *compoſitum.*

Recipe pulueris rutæ parum ſiccate libram vnam.

Caſto-

Castorei vncias duas:
Olibani
Myrrhæ ana vncias quatuor:
Ol. lini libram vnam semis:
Digerantur quatuor diebus, in ventre equino vel eius vicario: postea per retortam, in reuerberio clauso destillentur. Hoc liquore vmbilicus inungitur mane & vesperi.

OLEVM LATERINVM.

Candefac particulas laterum, vel silicum instar fabarum, in crucibulo, quas ita ignitas proijce in vetus oleum oliuarum; cooperi; & relinque per noctem: postea lapillos cũ oleo per retortam destilla, secundo & tertio rectifica oleum destillando cum sale præparato.

OLEVM SVLPHVRIS.

Recipe sulphuris triti libram vnã,
Calcis viuæ libram semis,
Salis mercurialis vncias quatuor:
Misce: & per retortam destilla. Ad vulnera & vlcera vtiles

OLEVM SALIS.

Sal constat ex partibus diuersis: terrea, aquea, ignea. Consistentia & soli- (*Natura Salis.*)

ſoliditas eius àterra,liquabilitas ab aqua,mordicatio ab igne. Acris eſt, γλυκύπικρος, inciſiuus,ſubtilis,penetratiuus,purus,fragrans, incombuſtibilis,&alia à corruptione preſeruans,diaphanus aëris inſtar, per reiteratas preparationes,diſſolubilis in humido,liquabilis in igne,inſtar metallorum : eſtque ceu anima in corpore,ſecundum Plinium, qui poſt Stoicos ait : ſalem datum eſſe carni porcinę,ſuâ naturâ quaſi mortuæ,pro anima. Hic enim in modũ fermenti,corpus,cui miſcetur,modo id penetrare poſsit, in ſuam naturam conuertit; humorem viſcoſum putrefactioni obnoxium conſumendo.Raimundus Lullius vocat liquorem ſalſuginoſum, per totum corpus diſperſum, humorem vrinalem:Paracelſus Mumiam.

Sunt autem varij ab artiſtis excogitati modi oleum ſeu ſpiritum ſalis eliciendi. Aliqui ſal decrepitatũ per ſe deſtillant, abſque additione alicuius rei externæ.Sed cum ſal ſit facilis fuſionis; & cum in vnum

coie-

coierit, ſpiritus contumaciſsimos foueat: poſt deſtillationem viginti quatuor horarum, omnibus refrigeratis, retortam frangunt: maſſam ſalis terunt: & nouæ retortæ imponunt: cum liquore deſtillato, idque toties repetunt; donec totum Sal in oleum reſoluatur, quod octaua aut nona deſtillatione fieri ſolet. Tædioſa nimis operatio. Alij ſal calcinatum, in cella vel aqua pluuiali diſſoluunt: & cum argilla figulina cribellata impaſtant: indeque orbiculos vel globulos formant: quos exſiccatos retortæ indunt, & ſpiritus eliciunt. Ego verò ſic parare ſoleo. Accipio libras duas ſalis marini calcinati: miſceo cum ſex libris farinæ laterum, vel terræ rubræ, vel boli communis: impono retortæ firmæ & amplæ, vt tertia ad minimum pars vacua remaneat: adhibitoque recipienti amplo, in quem prius aquæ ſtillatitiæ libram infudi, deſtillato per triginta horas: ſeruatis iiſdem gradibus ignis, de quibus deſtillatione ſpiritus Vitrioli

dictum.

dictum. Post separationem aquæ & Phlegmatis, accipio viginti ad minimum vncias olei acerrimi, quod rectificari debet.

Vires exerit potentissimas, cum interiùs; tum exteriùs sumptum. Renouat totum hominem & præseruat ab omnibus morbis: si in generoso vino aut aqua vitæ vsurpetur. Cum sale absinthij mistum, & in vino aut aqua absinthij vsurpatum, hydropem tollit. Curat epilepsiam, icterum, febres, calculum, lumbricos. Inunctum sanat membra luxata, contracta, paralytica, apostemata, dolores item podagricos mitigat, si cum oleo vel Terebinthinæ, vel ceræ, vel chammillæ misceatur. Calcinat etiam omnia metalla, lapides, vitrum ipsum, artis opus perfectissimum.

ALIVS MODVS

Dissolue sal commune in humido per se: toties filtra; donec nullas relinquat feces: deinde pone in vẽtrem equinum, per duos menses: postea fortissimo igne destilla: & phleg-

phlegma per balneum, à liquore vnctuoso salsuginoso separa. Quicquid corruptioni maximè obnoxiū est: hoc liquore si imbuitur, multa secula manet incorruptum. Creditur illud formosissimæ feminæ cadauer, hoc liquore fuisse cōditum, quod referente Raphaële Volaterano, tempore Papæ Alexandri VI. ante annos centum & sedecim aut circiter, in antiquo sepulchro, prope Albanam, adeo integrum, nullaque adeo corruptione contaminatum repertum fuit, ac si eadem hora expirasset: cum tamen ex scriptura marmori insculpta, vltra mille trecentos annos, iacuisse ibi defossum constaret.

OLEVM VITRIOLI.

Dissolue vitriolum optimum in aqua communi: dissolutionem in leni balnei calore digere; postea filtra: & per vaporem balnei, in vase vitreo, aquam abstrahe, donec cuticulam contrahat. Tum vase in loco frigido posito, cristallos diaphanos producet: quibus separatis, reliquā aquam

aquam euaporabis, donec nouam contrahat cuticulam, & nouos in frigido produxerit cristallos; quos omnes separatos dissolues, digeres filtrabis: rursus in frigido cristallisabis: & vt supra separabis, eundem laborem, tertiò repetendo: donec Vitriolum ab omni terrestreitate heterogenea sit liberũ. Hoc vitriolum cucurbitæ altæ impone, & phlegma per balneum ad siccitatẽ abstrahe: reddendo toties propriæ terræ: donec siccum ebiberit totum humidum. Massam exime, & in puluerem subtilem tere: eumque in retortam firmam immitte, cum octaua parte sui ponderis spiritus vini summè depurati: & seruatis ignis gradibus per triduum, omnes Spiritus euoca. Vase refrigerato: quod in recipiente fuerit: redde alijs duabus libris colcotharis, vt supra præparati: & iterum per triduum destilla. Tum vini spiritum, per Balneum, in cucurbita alta separa: deinde spiritum Vitrioli per cineres destilla: in quo si corallos vel per-

las dissolueris: Verum Antepilepticum habebis. Oleum instar sanguinis rubrum, quod in fundo hærebit rectificare poteris, destillando per retortā in arena, vel sola digestione, fecesque terreas, quæ fundum petent, ab eodem oleo separare.

Eius vsus est in metallicis potius, quàm medicina.

OLEVM ANTIMONII.

Recipe Antimonij crudi:
Sacchari cādi ana vncias quatuor,
Aluminis calcinati vnciam vnam:
Simul tere, & misce. Destilla per retortam, igne valde moderato. Sic accipies oleum rubicundum, ad vlcera aptissimum.

CAPVT VII.

De Tincturis liquidis.

TIncturæ vocabulo, Chymici nō intelligunt, vt vulgus opinatur colores simplices à misto separatos, vel exaltatos: sed colores essentiæ rerum & qualitatibus formalibus, è concreto corpore extractis

inhæ-

inhærentes: vnde Tincturæ interdum olea dicuntur, interdum ſpiritus; interdum quinta eſſentia.

TINCTVRA ROSARVM Siccarum.

Impone vnciam vnam roſarum rubrarum exſiccatarum, in libras quatuor aquæ tepidæ, quibus adde drachmas duas aut circiter ſpiritus Vitrioli vel Sulphuris. Intra tres vel quatuor horas, aqua fiet coloratiſsima, quæ filtrari debet: in qua ſi diſſolueris vncias duodecim ſacchari: verum hepatis refrigeratiuũ habebis.

TINCTVRA VIOLARVM.

Flores contuſi macerentur in propria aqua, vel ſacchari oleo, ſuperius deſcripto: poſt exprimantur: expreſſum coletur: donec tinctura voto reſpondeat.

VEL.

Pone flores ad alembici roſtrũ: vt propria aqua deſtillata, prætèrlabendo tincturam ſecum abſtrahat.

CAPVT VIII.

De Balſamis.

BAlſami Chymici nihil aliud ſunt; quàm olea compoſita, & aliarum rerum additione ſpiſsiora reddita. Conſtant ferè liquore triplici, ſpirituoſo ſeu aqueo, oleaginoſo & craſſo inſtar mellis: quibus interdum pro rei natura, moſchus, ambra, zibettha &c. addi ſolent.

BALSAMVS CINAMOMI.

Componitur hic ex tinctura, per ſpiritum vini extracta & inſpiſſata, oleo & ſale eiuſdem, nec non cera alba: in aqua roſacea probè ſoluta: lota: ab omni acredine vindicata, quæ mediam dat conſiſtentiam. Vel fit ex ſebo cerui, aut veruecis, diligenter mundato & loto: ita vt quodlibet per ſe, vel vnum ex iſtis, cum cera poſsit miſceri, & poſtea cum extracto, oleo, & ſale ad iuſtã conſiſtentiam reduci, Ita parantur balſami ex Garyophyllis, iunipero, ſaluia, roremarino, aniſo & ſimilibus.

bus qui tam pro externo illitu, quã in terno vſu ſunt efficacisſimi.

BALSAMVS SVLPHVRIS.

Recipe florũ Sulphuris vncias duas: Ol. Terebinthinæ vncias quatuor:

Miſce: & vitrum in arena colloca, vt ſpatio octo horarũ lentà bulliat, & fiat inſtar ſanguinis. Tum ſuperfunde aquam communem: & per alembicum deſtilla oleum ſuperfluum, cum aqua. Manebit in fundo balſamus Sulphuris: à quo tincturam per ſpiritum vini extrahere potes, & coagulare, quæ in aqua hyſſopi vel ſyrupo liquiritiæ, datur à tuſsi vexatis, propter pulmonum affectus. Valet etiam ad vlcera maligna.

BALSAMVS SATVRNI.

Deſtilla duas partes aceti imprægnati ſale Saturni vt tertia tantum pars ſuperſit. Deinde recipe olei roſati vncias quatuor, aceti imprægnati vncias octo. De hoc guttatim ſuper oleum infunde: & ſimul continuè miſce in mortario æneo: & fiet inſtar vnguenti: quod

confert inflammationibus&podagræ calidæ. Si idem acetum sale Saturni imprægnatum mixtum fuerit, cum ęquali parte aquæ communis, & applicatum calidè, cum linteolis replicatis, super contusiones in quacumque corporis parte, statim sedat omnem dolorem.

CAPVT IX
De Extractis.

PArantur EXTRACTA specialiter sic dicta ex genere animalium & vegetabilium, beneficio dissoluentium siue menstruorum accommodatorum, qualia sunt spiritus vini, iuniperi, serum lactis, hydromel vinosum, aqua pomorum redolentium, fumiterræ & similium, vel aquæ ex ijsdem, ex quibus extracta concinnare animus est, destillatæ. Ex animalibus carnes, aut Mumia, hepar, splen, pulmones, testiculi & similes partes eliguntur: vnde velgò inclaruerunt extracta ex cranio humano ad epilepsiam: ex splene bouis ad menses prouocandos: ex hepate vituli, ad hydropem

pem & fluxum hepaticum: ex pulmone vulpis, ad asthma & similes morbos. Ex vegetabilibus varia fiunt: vtpote ex herbis, floribus, radicibus, succis, baccis, corticibus, lignis, aromatibus, seminibus, fructibus: vt videre est, apud Quercetanum, capite vltimo Pharmacopææ Dogmaticorum restitutæ.

Cæterum ad extracta purgantia præparanda: multi hactenus vini spiritu, pro dissoluente vsi sunt: qui tamen, quod vim eorum catharcticam valde infringat, promiscuè in omnibus non videtur vsurpandus. Adhiberi poterit interdum in Hellebori, Colocynthidos, Scammonij extracto: in alijs autem, substituentur aquæ destillatæ: vtpote Rhabarbaro, accommodata erit aqua Endiuiæ: Folijs Senæ Orientalibus, aqua pomorum redolentium, fumariæ, fæniculi: Agarico, aqua Cinamomi: & sic porrò alijs aliæ. Quod si talis aqua vitę, proprio scilicet sale armoniaco priuata, vti Dariotus, & post eum, Ioannes du

Val. Medicus Iſſoldunenſis, Penotus quoque in tractatu de vera medicamentorum Chymicorum præparatione, in magiſterio Tartari, docent, daretur: præſtantior, ad omnis generis extracta paranda, deſiderari non poſſet. Verum quamuis dn. Mayaud, vir in re Chymica longè exercitatiſsimus, & amicus meus ſingularis, ad illorum doctorum placida, menſtruũ tale parare, mecum tentauerit? tamen nunquam non in operatione hac oleum & operam perdidimus. Vnde conijcere quis poſſet: quod, cum bonus ille Penotus in ſupra citato magiſterio Tartari, alios ad Dei timorem, & pro tam raro ſecreto, gratiarum actionem moneat & inuitet, ipſemet Deum non ſatis timuerit, nec il i gratias egerit: quando tale magiſterium poſteritati conſecrauit.

EXTRACTVM SENAE

Folia Senæ macera, per viginti quatuor horas, in ſufficienti aquæ ſtillatitiæ pomorum redolentium quantitate: quod tinctum eſt, effun-

de

de & filtra: folijs prius fortiter expressis. Interim ex fecibus, secundum artem, sal elice, & tincturæ commisce, quam deinde lento balnei calore, ad duas partes destilla: vel in scutella vitrea, vapore calentis balnei reliquum humorem, ad extracti consistentiam exhala. Dosis eius drachma semis.

NOTA: tincturæ extractionem ex ijsdem folijs Senæ nō esse secundò repetendam: ne extractum intra corpus admissum, in eo grauia concitet tormina.

EXTRACTVM RHABARBARI

Rhabarbarum recens minutim concisum digere in aqua Endiuiæ, vel alia odorifera, donec coloretur. Quòd tinctum est, deple: nouamq; aquam toties reaffunde: donec ea non tingatur amplius. Depletiones filtra: circula: & menstruum ad extracti consistentiam per balneum euoca: sale prius ex fecibus addito: vt in superiori præparatione dictū

PANCHYMAGOGVM.

Recipe pulpæ Colocynthidos.

Ellebori nigri,
Diagredij ana vncias duas semis:
Turbith,
Hermodactylorum,
Agarici,
Aloës ana vnciam vnam:
Foliorum Senæ Orientalium,
Rhei electi ana vncias quatuor:
Specierum Diarrhodon Abbatis vnciam vnam.

Fiat extractum secundum artẽ, cum aqua Cinamomi, addendo sal ex fecibus. Dosis à scrupulo vno ad drachmam semis.

AD QVARTANAM.

Recipe Aloës vncias quatuor.
Myrrhæ,
Radicum Gentianæ,
Aristolochię rotundę ana drachmas tres.
Croci Oriẽtal. drach. vnã semis.
Triũ Santalorũ ana drach. vnam,
Asari drachmas duas:
Folior. Senæ mundatorum vnciam vnam semis:
Mithridatij optimi vnciã semis.
Puluerisanda puluerisentur: fiatque

que maſſa cum ſyrupo de Scolopendrio, ex qua fiat extractum, cum aqua Cardui benedicti: addito ſale ex fecibus: cuius doſis, ſcrupulus vnus ad drachmam ſemis, pridie acceſsionis, mane, cum drachma vna aquæ extracti.

Modvs hic parandi extracta purgantia, tam ſimplicia, quam cōpoſita, vulgaris eſt. Noui autem modum longè compendioſiorem, tincturam, & omnem vim catharcticam, ſpatio quadrantis horæ, è medicamentis purgantibus, abſque vllo calore externo, & additione vllius rei mineralis eliciendi: quo extracta longè maioris fiūt efficaciæ; quàm ſi trito & conſueto more parentur.

THERIACA GERMANORVM.

Grana iuniperi recentia & matura in mortario marmoreo conterātur: quibus, ad ſingulas libras, aquæ pluuialis deſtillatæ libræ quatuor ſuperfundatur, & per triduū, loco calido digerantur: poſtea per pannū colentur, & fortiter exprimātur.

Colatura filtretur, exhaletque ad extracti cõſiſtentiam. Doſis drachma vna. Datur in colica, calculo, ſuffocatione matricis, mẽſium ſuppreſsione, defluxionibus frigidis, hydrope. Eſt etiam præſeruatiuum ſpecificum contra peſtem, & omnem aërem contagioſum.

LAVDANVM ſiue Νηπενθὲς.

quouis Homerico præſtantius.

Extractum Narcoticũ dicitur Laudanum, quaſi laudatum remedium: ob inſignes ſcilicet effectus, quos in grauiſsimis morbis & doloribus ſæpiſsimè conſpicimus. Aliqui Nepenthes vocant. Teſtatur enim Homerus, remedium tali nomine inſignitum Helenæ fuiſſe, quo omnes cordis languores & ægritudines abegerit, & iucundam hilaritatem lætitiamque induxerit.

Recipe Tincturam ex Hyoſcyami vncijs duabus cum ſpiritu vini, per ſpiritum Vitrioli vel ſulphuris acido facto, extractam vt artis eſt.

Ex Opij vncia vna, vt ſupra extractã

Croci

Croci orientalis vncijs duabus extractam.
Misce: & pone in loco tepido per dies quindecim, quotidie agitando. Quibus finitis, spiritum vini per balneum euoca: deinde massæ in fundo remanenti adde:
Extracti Castorei drach. duas.
Tincturam ex vncijs duabus Diambræ, per Spiritum vini iuniperatum, in balneo vaporoso extractã vna cum dissoluente.
Stent in digestione per mensem, sæpius agitando: dum omnis odor grauis euanescat. Tandem adde:
Tincturæ corallorum,
Succini pellucidi præparati ana drach. vnam.
Ossis è corde cerui scrupulũ senis.
Tincturæ auri drachsemus.
Omnibus in mortario marmoreo mixtis, & prius contusis contundendis, adde:
Olei Succini,
Macis,
Cinamomi ana scrupul. vnum:
Extracti Moschi (quod tamen in

mulieribus omittendum est (scrupulum semis.

Hæc omnia pone in loco temperato, vt exsiccentur, ad pillulas inde facilè formandas.

Dosis à gr. j ad quatuor.

CAPVT X.

De Tincturis mollibus.

ETsi TINCTVRAE meritò propter operationes, quibus perficiuntur, & consistentiam suã, ad extracta referri possent: tamen quia ab autoribus tincturarum titulo donatæ fuerunt: placuit ipsis etiam peculiare caput adsignare.

TINCTVRA MELLIS.

Misce mel arenis bene mundatis: vt fiat quasi massa: superfunde vini spiritum: vt emineat duobus digitis: digere per quinque vel sex horas: coloratum spiritum effunde, aliumque affunde: donec non amplius coloretur. Tincturum spiritũ filtra, & coagula. Mirum in modum nutrit phtisicos.

TINCTVRA CROCI.

Fit cum vini ſpiritu, qui ſuper ipſum infundi debet toties, donec tincturam totã attraxerit: & remaneat terra ſubalba. Tinctura filtratur: & S.V. leui balnei calore abſtrahitur. Varias & egregias habet facultates: & ſpiritus imprimis in ſyncopticis recreat & reſtaurat mirabiliter: ſi vnica ſaltẽ eius gutta, in iuſculo aut vino albo exhibeatur.

TINCTVRA SACCHARI.

Recipe Sacchari albi pulueriſati libram vnam: pone in cucurbitam, vel matracium cum duobus cochlearibus aceti deſtillati: digere ſuper cineres calidos per ſex horas: deinde ſuperfunde aquę vitæ rectificatæ, vt ſupernatet ad duos digitos: digere, donec coloretur: poſtea aquam tinctam effunde, & aliam toties reaffunde, donec vlterius non coloretur. Tum menſtruum per balneum euoca. Tinctura ſiue eſſentia rubra manebit in fundo, quæ circulari debet, cum aquis cordialibus.

Pro-

Prodeſt in ſyncope & deliquijs animi, cum aqua Cinamomi & roſarum exhibita.

TINCTVRA SVLPHVRIS.

Liquefac ſal Tartari in tigillo: flores item ſulphuris in alio tigillo: poſtea ſimul miſce, ſponte infrigidari permitte. Maſſam tere, cui ſpiritum vini ſuperfunde, ad eminentiam quatuor digitorum. Digere: donec colore rubicundiſsimo tingatur: mẽſtruum ſeparatum per balneum euoca. Hæc tinctura eſt verus pulmonum balſamus.

TINCTVRA CORALLI.

Diſſolue corallorum vncias duas, in libra vna ſucci limonum, digerendo per octiduum, & poſtea filtrando. In hac tinctura diſſolue ſacchari albi vncias octo, & digere euaporando ad ſyrupi conſiſtentiã.

Doſis cochlear vnum in omni fluxu hepatico, dyſenteria, & fluxu ſanguinis.

ALITER.

Recipe coralli triti q. v. infunde in aqua acida, vel quercus, vel iuniperi,

peri, vel Guaiaci, vel buxi: rectificata, (ſicut in capite de aquis deſtillatis docuimus) vt menſtruum ad tres vel quatuor digitos emineat. Digere in fimo equino vel eius vicario, ad octiduum: Quod diſſolutum fuerit: effunde: & aliud acidum toties reaffunde: digere: & decanta donec coralli diſſoluti fuerint. Diſſolutiones per chartam emporeticam cola: vel filtra: & ad ſiccitatem deſtilla. Materiæ in fundo vaſis relictæ affunde optimum vini ſpiritum. Is tingetur per digeſtionem octo dierum, inſtar ſanguinis: ſepara liquorem tinctum à fecibus: aliũ reaffunde ſpiritum :digere: & decanta: donec omnem tincturam extraxeris. Tandem ſpiritum tinctum filtra: & coagula ad ſyrupi conſiſtẽtiam: Si placet: circulabis cum aqua cordiali, vel adde ſaccharum in aqua roſaceâ diſſolutum; & reduc in ſyrpum.

ALITER.

Calcinantur coralli cum ana ſulphuris: & tinctura per acetum deſtil-

ſtillatum elicitur, digerendo per quinque vel ſex dies.

ALITER.

Coralli triti calcinantur, cum ana ſalis Petræ, per horam, igne ita moderato, vt Nitrum non liqueſcat. Poſtea calidè imponuntur in matracium, & ſpiritus vini ſuperfunditur: digeruntur per viginti quatuor horas. Spiritus tinctus effunditur, & alius reaffunditur: donec omnem tincturam attraxerit.

CAPVT XI.

De Calcinatione ſalis communis, ſalis Petræ Vitrioli, Lapidis Spongiæ. Criſtalli, Marchaſitæ argenti.

CALCINATIO SALIS communis.

Sal commune poſitum in crucibulo, vel alio vaſe terreo, & ferè ad ſummum repleto coopertoq; locatur inter carbones viuos, donec vndiq; candeat, nec amplius crepet. Soluitur poſtea aqua communi; filtratur, & in ſcutella noua vitreata coagulatur.

CAL-

CALCINATIO SALIS PETRAE: *siue cristallum minerale, seu Lapis Prunella.*

Sal Petræ venalitius soluitur aqua communi, & per chartam emporeticam traijcitur: quô à sordibus omnibus expurgetur. Deinde vase vitreo decoquitur, & crebro despumatur, antequã coaguletur. Exsiccatus teritur, & tigillo mundo imponitur: vt inter prunas accensas liquefieri possit. Liquatæ libræ inijcitur florum sulphuris vncia vna, non quidem simul vna vice, sed pluribus, donec omnis pinguedo deflagrauerit. Flamma autem vitanda. Hæc salis solutio, filtratio, decoctio, despumatio, coagulatio, eliquatio & deflagratio si ter continuentur: ad medicinæ vsum sufficienter præparatus est. Sal istæ drachmæ semis pondere, in aqua rosarum vel endiuiæ resolutus, summum est in prunella arcanum. Gargarisatus enim omnem oris & colli immunditiem tollit: & si parum

istius

istius aquæ deglutiatur: sedat omnem calorem internum, & cordi refrigerium præstat. Cum vini spiritu sumtus tussim sedat: cum aqua hyssopi tam pulmonis, quàm hepatis obstrictiones expedit: anhelitũ difficilem curat: vocem deperditã restituit, eamque sonoram reddit: si dimidia eius drachma, cum oui vitello mediocriter percocto, matutino tempore, à ieiunio quotidie sumatur. Valet præterea in multis alijs morbis tam internis, quàm externis: vt latius Iohannes Tholdeus in sua Halographia, & Bernhardus Penotus in libro de præparatione medicamentorum Chymicorum docet.

CALCINATIO VITRIOLI.

Exsicatur ad albedinem, in vase terreo, non vitreato: igne moderato: postea is augetur per horæ quadrantem, vt Vitriolum rubescat: & tunc vocatur Colcothar.

CALCINATIO LAPIDIS,
Spongiæ.

Lapis Spongiæ ignitur: & toties in

in aceto destillato extinguitur donec in calcem resoluatur. Eius vsus in calcinatione pro tinctura elicienda.

CALCINATIO CRISTALLI

Cristallum, per sex horas, in crucibulo reuerbertum, reduc in puluerem subtilem: & misce cum ana salis Petræ: & denuo reuerbera igne vehementi, horas octodecim. Fusum proijce in aquam cælestem: & quod indissolutum manserit, exsicca, & reduc in Alcohol. Deinde cum eadem aqua coque: donec instar pultis inspissetur: & expone super partes vitri, in calido, vt exsiccetur: iterumq; reduc in alcohol: & si volueris, pone in humido, vt dissoluatur. Si quid indissolutum remanserit: repetita calcinatione cum nitro & alijs vt supra, fiet solubile.

Dosis, guttæ tres vel quatuor, cũ ana olei iuniperi contra calculum renum vesicæ.

Aliter.

Candefac cristallum clarum & ponderosum: eumque extingue in

ace-

aceto destillato toties: donec minimo attactu in puluerem redigatur. Tum misce cum ana Salis Petrę, & reuerbera per octodecim horas. Deinde multis ablutionibus, sal fixũ salis Petræ extrahe: exsiccatum reduc in alcohol. Prodest in calculo morbo caduco, disẽteria, vberibus sterilibus. Si quis hunc puluerẽ impalpabilem ad prædictos affectus magis subtiliare voluerit: digerat viginti quatuor horis in spiritu vini: & per retortam destillet. Quod fixum remanserit: reuerberetur, vt supra Digeratur & destilletur toties, donec maior pars cum spiritu vini ascenderit. Tum Spiritu vini per destillationem separato, quod in fundo vasis hæret, ponitur in humido, vt in aquam siue oleum dissoluatur.

CALCINATIO MARCASItha Argenij.

Vueismouth dissoluitur in aqua, facta ex salibus, sulphureo & stiptico diaphano. Solutio fit clara, cui nu-

nucleum rerum omnium liquidum ſuperfunde. Sic in momento præcipitabitur in alcohol, inſtar niuis cãdidiſsimum, quod ab omni acrimonia vendicari & exſiccari debet. Vſus eius ad cutis vitia.

CAPVT XII.

De Calcinatione Antimonij.

CALCINATIO ANTIMONII.

Recipe Stibij electi libras quatuor, ſalis pręparati librasquinque. Puluerifata miſceantur: & in vaſe terreo lato, plani fundi, ſuper fornacem reuerberij agitentur, ſpatio quinque vel ſex horarũ, donec fumus ceſſet: & ſtibium fiat album & ſubflauum, (cauendum diligenter à liquefactione & fumo noxio) Conterantur poſtea in puluerem, & ſal affuſione aquæ calidæ & ſæpius frigidæ eliciatur: quod exſiccatum & puluerifatum, ſublima per ſe in aludele, per decem aut duodecim horas. Floribus collectis

caput mortuum tere: & ad rubedinem, mensis spatio reuerbera: vase ita occluso propter cineres: vt ignis ab operatione debita, ne impediatur. Post calcinationem, tincturam aceto radicato elice: & filtratione, menstrui separatione, & circulatione cum aqua cordiali, vlterius elabora.

ALIA STIBII CALCINATIO & puluis Emeticus siue Mercurius vitæ.

Recipe Antimonij puluerisati vnc. quatuor.

Mercurij Sublimati vnc. octo. Misce simul: & destilla in cineribus per retortam vitream: cui applicetur recipiens, aqua communi semiplenum. Detur postea ignis per gradus: donec liquor gummosus, instar butyri, ad collum retortę hęreat, quem apposito carbone viuo fluere facies: & in aquam, in puluerem album præcipitabis. Postea paulatim detur ignis supressionis: donec liquor rubeus egrediatur. Tum amoto recipiente, & alio substitu-

ſtituto; ignis intendatur per horam vnam vel alteram: donec Mercurius ex ſublimato ſulphuri antimonij iunctus, ad collum retortæ, in Cinnabarim ſublimetur: quam vaſe refrigerato colliges. Præcipitatum puluerem per noctem digeres: & aquam, ſpiritu Vitrioli, ex ſublimato, impрægnatam, ad corallos & perlas diſſoluendas ſeparabis & ſeruabis: aliam aquam ſæpius præcipitato pulueri affundendo, donec omnis acrimonia tollatur: tandem aqua cordiali ablue, & lentiſsimo calore exſicca. Doſis in robuſtioribus eſt gran. quatuor vel quinque, in debilioribus, duorum vel trium, in pomo cocto, vel conſerua roſarum.

Prodeſt in peſte: capitis morbis: fabribus: lue venerea, lepra, hydrope, vlceribus. In exhibitione autem huius obſeruandæ ſunt cautiones elegantiſsimæ Crollij, quas tradit in ſua Baſilica Chymica, Earum prima eſt: quod in vſu Antimonij cauendum: ne adſint conſtipationes,

Cautiones in exhibitione Antimonij obſeruandæ.

Colici dolores, neue vnum principalium membrorum læsum sit.

Secunda: ne ijs, quibus Antimonium offertur, vel ante vel post eius assumtionem vena incidatur.

Tertia: ne Picrocholis, & ijs qui difficulter vomunt: ac qui viribus imbecillibus sunt præditi, offeratur: sed ijs qui ad vomitum procliues, stomachum fortem habent, thoracem amplum & latum, quique vomere aliàs sunt adsueti, & quibus humorum materia sursum fertur.

Quarta: quod, vbi sese vomitus mouet; exhiberi soleat offa aut ius pisorum leuiter coctorum vel gallinarum pingue, aut calidæ cereuisiæ haustus, reiterando, si opus, aliquoties, vt facilius vomatur, & medicamenti accleretur actio.

HEPAR ANTIMONII SIVE crocus Metallorum.

Recipe Antimonij crudi lib. vnam.
Salis petræ vnc. duodecim.

Misce: & impone mortario ferreo ad latus posito: vbi ea prius bene

triueris. Deinde adhibito saltem carbone viuo, accende: & subito fiet Hepar Antimonij: sal Petræ postea separa. Dosis gran. duodecim ad viginti, in infusione vini albi, aquæ cardui benedicti, vel alio conuenienti liquore, in febribus pestilentialibus maxime.

ALIA STIBII CALCINATIO.

Per inferiora tantum purgans.
Recipe Antimonij electi.
Salis decrepitati ana lib. vnam:
Trita, & simul mista, reuerbera in crucibulo probè lutato, per duodecim horas, ignem paulatim augendo. Vase refrigerato, toties aqua dulci ablue, donec omnis acrimonia tollatur. Postea exsicca & tere. Dosis à viginti quinque granis ad triginta quinque.

REGVLVS ANTIMONII.

Recipe Antimonij.
Salis Petræ.
Tartari ana libram vnam.
Tere: & misce, dein colloca crucibulum inter prunas accensas, vt cā-

deat. Tum inijce cochlear puluerũ: & statim operi, donec fumus cesset. Postea amoto cooperculo, nouos pulueres inijce & claude: ad finem vsque ita continuando. Tandem da ignem fusionis, & crucibulum moue, vt regulus fundum petat. Crucibulo frigefacto, Regulum à fecibus separa, & serua.

Ex fecibus autem huius fit SVLPHVR AVRATVM DIAPHORETICVM hunc in modum: Recipe feces Reguli, vt supra, præparati: easque reduc in lixiuium per digestionem, vel ebullitionem, illudque calidè per chartam emporeticam traijce. Huic lixiuio frigefacto, adde parum aceti destillati, & videbis crocum multis ablutionibus dulcoratum, & desiccatum seorsim collige, qui admirabile erit sudorificum, & sanguinis mũdificatiuum, multis morbis depellendis aptissimum. Dosis à scrupulo semis. ad integrum.

REGVLVS MARTIS STELLATVS.

Recipe apicum clauorum equorum

rum libram ſemis: Antimonij librã vnam. Candefac Martem in crucibulo: cui adde Antimonium tritum & cooperi: dando ignem fuſionis. Poſtea inijce per vices vncias duas Nitri: & tandem proijce in conum fuſorium. Regulum in crucibulo funde: cui adde vnciam vnam Nitri per vices, vt ſupra, & proijce in conũ. Hoc quater quinquies vel ſexies repete: donec Regulum Martis habeas ſtellatum.

ANTIMONIVM DIAPHOreticum.

Recipe Antimonij,
Salis Petræ ana libram vnam.

Pulueriſata ſimul miſce: deinde pone crucibulum inter accenſas prunas, vt candeat. Tum inijce vncias duas, aut circiter huius mixtionis, & ſtatim crucibulum operi: donec fumus & ſtrepitus ceſſet. Poſtea amoto operculo, nouos pulueres inijce & claude: ita ad finem continuando. Tandem da ignem liquefactionis ad horæ quadrantem. Vaſe refrigerato: materiã exime & tere:

miſcendo, vt ſupra, cum ana Salis Petræ, eodem modo calcinando & elaborando vt ſupra, Materiam tritam & ablutionibus edulcoratam, reuerbera in vaſe terreo clauſo, ſpatio viginti quatuor horarum: donec puluis fiat candidus: cuius doſis gr. quindecim.

ALIVD.

Recipe ſpumæ venenatæ duorum draconum ſemel rectificatæ vncias quatuor: quibus calore reſolutis, ſuperfunde ſpiritus ſalis balſamici vncias totidem: deſtilla ex arena omnem liquorem, ad ſiccitatem vſque. Terram eximè & probè tere; cui liquorē deſtillatum reaffunde, cum vncijs duabus, ſpiritus recentis balſamici; & deſtilla vt prius. Poſtea, pulueri trito reaffunde deſtillatum cum alijs vncijs duabus vt ſupra: & procede rurſus vt prius. Maſſam tritam trade VulcanoDocimaſtico examinādam per quatuordecim horas: materiam continuè agitando ferreo inſtrumento puro. Tandem alcohol vini ab ea aliquoties

ties abstrahe: vt remaneat puluis siccus candidus: cuius dosis gr. quatuor ad sex. Vsus eius singularis est in omnibus affectionibus pestilentibus, & febribus malignis populariter grassantibus.

CAPVT XIII.

De Calcinatione & præparatione Mercurij.

MErcurius est corpus minerale compositum ex terra subtili sulphurea, & aqua fortiter admixta. Substantia autem eius terrea purganda est, à crassa terrestreitate sulphurea: Aquæ verò substantia, ab humiditate superflua. Duplex autem est, naturalis & artificialis. Naturalis actiuus & summe depuratus, in Almagro propè Calatraua in regno Castiliæ, reperitur viuus, per se fluens, & in Cinabari coagulatus, qui ignis vi educitur. Hanc minerã antiquissimam Plinius vocat vomicam liquoris æterni. Huic similis reperitur in Idria, pago comitatus Goritz in Sclauonia. Sed

Hiſpanica bonitate excellit: quamuis Idria longe fertilior: Eſt autem admiratione dignum, quòd quamuis in vicinia Idriæ, ſingulis fere annis lues peſtifera graſſari: illa tamen ab hac immunis nunquam nõ manere ſoleat: id quod viri prouectæ ætatis ſeſe obſeruaſſe, idemque à Maioribus ſuis accepiſſe, mihi ante annos octo, eò loci profecto, ſanctè confirmarunt. Ex quo ſatis patet: vt & ex alijs exemplis innumeris: Mercurium eſſe ſummum omnis corruptionis & putredinis alexipharmacon. Non minus & illud ſtupendum, prodigioque ſimile: quod ibidem notaui. Senex erat decrepitus, qui toto vitæ ſuę tempore, in parãda Cinabari, conſumto, perpetuò tremebat: & aureum nummum manu compreſſum ita dealbabat: vt color eius natiuus omnino diſpareret.

Reperitur & alius Mercurius in mõte Gimnauoda dicto, ſex miliaribus à Cracouia, in Polonia, inter Tarnaua, Ribie & Streletzky, diſtã-

te, qui ſponte certis anni temporibus, vſque ad terræ ſuperficiem erumpit: præſertim autem autumnali tempore: quamuis etiam circa feſtum Iohannis Baptiſtæ, multa grana piſorum inſtar, in radicibus graminum, ibidem collegerim. Verùm hic Mercurius nimis aqueus, & Sclauonico, vt & Hiſpanico longè inferior. Inuenitur etiam naturalis, in multis alijs locis: & interdum in auri & argenti fodinis.

Artificialis fit modo ſatis trito, & artiſtis noto, per ſales reſuſcitatiuos, tam ex medijs mineralibus, quàm metallis. Quin & in hac vrbe plures viros fide dignos & præcipuæ autoritatis dignitatiſque noui: qui nō modo è mineralibus, ſed etiam ex ſanguine humano prius calcinato, & ex plantis etiam, Mercurium viuum elicuêre. Mercurius artificialis.

Ille optimus, cuius drachma in cochleari argenteo puro, ſuper carbones viuos poſita, poſt euaporationem, maculam relinquit flauam vel albam. Sed qui cochlear deni- Mercurius bonitatis nota.

gratiita purgari debet: antequam ad vſum medicum adhibeatur:

Recipe Mercurij

Aceti diſtillati ana libram vnam: pone in matratio forti, cum manipulo ſalis præparati: moue ſtrenuè per horæ quadrantem, vt miſceantur, & acetum denigretur: quod per inclinationem cum Mercurio, in ſcutellam vitreatam effunde, & toties aqua tepida ablue, donec omnis nigredo & ſalſedo ſeparetur. Exſiccatum repone in matracium, cum aceto & ſale vt *ſupra*, eundem laborem ter quaterue repetendo, & tandem per corium traijciendo. Sed hęc vulgaris & imperfecta purgatio: ſequitur perfectior: Recipe Mercurium præcipitatum, Cinabariſatum vel ſublimatum: miſce cum duabus partibus ſui ponderis Tartari vſti vel calcis viuæ: deſtilla per retortam vitream, igne ſuppreſsionis, vel in reuerberio clauſo, adhibito recipienti amplo, aqua ſemipleno. Ita accipies Mercurium magis depuratum, quam modo

modo præcedenti. Sed modus perfectissimus depurandi Mercurium, quo melior dari non potest, est eius amalgamatio cum corporibus perfectis: destillando aliquoties, per retortam, singulis vicibus, feces terreas, sulphureas, fætentes separando, & denuo amalgamando, & tandem per corium traijciendo.

PRÆCIPITATVS ALBVS.

Mercurius dissoluitur in aqua forti, & affusione aquæ salsæ præcipitatur in puluerem album. Dissoluens per inclinationem effunditur: & præcipitatus multis ablutionibus cum digestione, omni salsedine & acrimonia priuatur. Tandem exsiccatus aqua rosacea abluitur & exsiccatur. Dosis interius à granis octo ad decem, in morbis venereis maximè: purgat per inferiora tantum.

PRÆCIPITATVS RVBEVS.

Post dissolutionem Mercurij in aqua forti, fiat euaporatio ad siccitatē, igne violento: in fundo matratij

hærebit puluis rubeus præcipitatus, vlceribus maximè venereis aptissimus.

MERCVRIVS PRAECIPITATVS.

EX OPTIMIS OPTIMIS.

Recipe Mercurij purificati vncias quatuor: affunde olei sulphuris rectificati vncias octo. Digere per duos dies in arena: deinde per retortam destilla, cum tribus cohobijs; vltimò igne violento, Vt retorta candeat, Massam albam exime & tere: aquâ destillatâ calidâ sæpius ablue: donec præcipitatum videas versum in puluerem flauissimum: super quem, Spiritum vini ter accendas, Ita securè intra corpus dari poterit. Dosis à gr. tribus vel quatuor ad sex, in extractis purgantibus, conserua rosarum aut saccharo rosaceo. Valet in infirmitatibus causatis ab humorum putredine, & morbis deploratis: purificat sanguinem in podagra, hydrope, & in omnibus febribus continuis summum est arcanum.

ALIA

ALIA MERCVRII CALcinatio & præcipitatio.

Mercurium à sole vel luna destillatum & purgatum vt supra, vel per se vel cum octaua parte Solis vel Lunæ, præcipita in puluerem rubeum, modo quo sequitur: Accipe matracium paruum, colli prolixioris, cui impone Mercurij vncias quatuor: deinde super laminam fereã, in fornace arenę colloca, dando ignem continuum spatio quadraginta dierum. Collum matracij super arenam eminere debet, ad sex vel octo pollices: & primis decem vel duodecim diebus, mercurius, qui ad collum matratij ascenderit, debet aliquoties quotidie baculo ferreo, cui alligatus sit pannus lineus, ad fundum ignitum (vti Geber docet) detrudi & præcipitari. Est autem hic modus præcipitandi Mercurium, non modernorum, sed antiquorum philosophorum. Tempore finito: si quid Mercurij crudi, in matracio repertum fuerit: separari debet à puluere rubeo, qui ad-

mirandas habet in medicina facultates. Est enim catharcticum præstantissimum in lepra, blandè adeò aluum soluens, vt pueris & prægnantibus dari possit: acres humores mitigat: pituitosos expurgat: calidamque ac siccam viscerum constitutionem emendat. Dosis gr. sex.

ALIA.

Dissolue Mercurium in aqua forti, & præcipita, vt artis est, per exhalationem omnis humiditatis, vt præcipitatus fiat rubeus. Puluerisatum impone matratio forti, superfundendo aecetum ter destillatum, vt supereemineat ad altitudinem quinque digitorum, dando ignem arenæ, vt acetum lentè bulliat, spatio sex horarum, & præcipitatus totus dissoluatur. Dissolutioni prius filtratæ, superfunde liquorem anima mundi impregnatum: & statim separabitur Mercurius, à dissoluente, qui ablui & exsiccari debet. Dosis à gr. 4. ad 5.

PRAE-

PRAECIPITATIO MERCVRII in Momento.

Impone Smiridem rubeum puluerisatum crucibulo, exponendo spatio quatuor horarum, igni violento: donec quodammodo vitrescere incipiat, & lateribus crucibuli adhærere. Tunc ab igne ablato, tritura in puluerem subtilem, & matratio impone: cuisuperfunde aquam Regis rectificatam, digeréndo per viginti quatuor horas, postea per inclinationem, aquam tinctam effundendo, & aliam toties reaffundendo: donec omnem tincturam attraxerit. Depletiones ad oleaginositatem destilla. Huius olei recipe vnciam vnam, infunde super vncias quatuor Mercurij crudi: sic in momento præcipitabitur: nec oleum Mercurio adhærebit. Si destilletur igni satis forti, post olei exhalationẽ, aliquid de Mercurio sublimabitur: maior tamen pars manebit fixa. Eius vsus in augmentatione Solis & Vitrificatione rubicundissima.

PRAE-

PRAECIPITATVS DIAphoreticus.

Diſſolue Mercurium à Sole vel Luna deſtillatum & purgatum vt ſupra, in aqua forti, quã ex matratio colli prolixioris, cum alembico proportionato, abſtrahe, igne tertij gradus, cum bina cohobatione, vt Mercurius fiat rubeus, qui edulcorari debet calcinando in crucibulo, inter prunas accenſas, continuò virga ferreâ mouendo, per horæ quadrantem circiter, vel cum aqua ſequenti. Recipe Aceti deſtillati libras duas, phlegmatis alumnis libram ſemis, calcis reuerberatæ toſtarum ouorum vncias ſex: deſtilla ſimul ad ſiccitatem. Huius aquæ recipe libras tres. Mercurij ſupradicti præcipitati lib. vnam. Miſce & digere per diem naturalem: poſtea deſtilla per alembicum, cum ternis cohobijs, ignem augendo ſub finẽ, vt materia probè ſiccetur, quæ circulari debet per diem naturalem cum S. V. Poſtea deſtillatione ſeparatur ſpiritus: & denuo circulatur

& de-

& deſtillatur. Hoc quartò repeti debet. Hæc vera Mercurij præcipitati pręparatio ad infinitos morbos pellendos: & maximè luem veneream, ſiue interius ſumatur, (quia ita elaboratus ſaltem ſudores prouocat) ſiue exterius cum butyro, aut alio medicamento applicetur.

PRÆCIPITATVS CINABARis Diaphoreticus.

Recipe Cinabaris vulgaris vnciam vnam.

Salis præparati drachmas duas. Simul tere, miſce: & matratio impone, quibus ſuperfunde olei Sulphuris per campanam facti vncias tres. Digere per triduum in cineribus: tandem igne violento, fac omnem humiditatem euaporare. Manebit in fundo maſſa alba, quæ frequenti ablutione edulcorari debet. Doſis à gr. ſex ad decem, in morbis Venereis maximè. Datur cum conſerua roſarum & vncijs quatuor vel tribus decoctionis ſarſæ parillæ.

MER-

MERCVRIVS VENERIS Diaphoreticus.

Recipe limaturæ Veneris vnc.vnā: Mercurij meteorisati vncias duas: Salis Mercurialis vnc.duas semis: Tritis,& simul mistis:inde ea matratio firmo,dando ignem arenæ: donec instar ceræ omnia liquescāt. Tum matratium ita calens frigidæ impone: vt in partes dissiliat, & Mercurius subuiridis effluāt:quem exsiccatum in retortam paruam, cum spiritu Sulphuris vel Vitrioli, in cineribus,per diem naturalem, digerendum collocabis: & postea cum binis cohobijs in arena destillabis:tandemque ablues bis aut ter & vltima vice,aqua cordiali.Præstantissimum remedium diaphoreticum Bezoarticum est, contra pestem.Si duodecim horis,à veneno hausto sumatur,à morte præseruat. Dosis gr. vnum vel duo in aqua appropriata.

CAP.

CAPVT XIV.

De Calcinatione Saturni & Iouis.

CVm, teste Gebero, impoſsibilis ſit corporum ſolutio, compoſitione ignorata: antequam metallorum calcinationes aggrediamur: de ipſorum natura obiter aliquid dicendum eſt. Rectè autem mihi ſenſiſſe videtur Hermes, pater ille philoſophorum: dum dicit: Id quod eſt ſuperius, eſt ſicut id, quod eſt inferius: & vice verſa. Qua ratione enim natura paullatim & ſucceſsiuè in terræ ſuperficie, plantas & cætera vegetabilia producit: ita eadem in locis ſubterraneis, metalla quamuis tardius & longiori temporis ſpatio, ex vapore humido vnctuoſo, argẽti viui & ſulphuris vitriolati, ſuo calore, mercurium decoquentis proprietates in ſe continente generat. Vnde Hydrargyrus mater Metallorum dicitur; Sulphur verò pater: in ijſque quatuor elemen-

ta, quæ omnium corporum naturalium materia remota sunt, repræsentantur. Mercurius enim instar fœminæ, frigidus & humidus, aquæ & aëris rationem habet: sulphur autem tanquam mas, calidum & siccum, ignis & terræ vicem obit. Si quis materiam eorum, non tam halitum, quam succum statuere velit, non repugnabo. Cùm enim superiori æstate, in Hungaria, medio miliari in Schemnitz, in argenti fodinam, mille quingentos circiter cubitos profundam descendissem: à fossoribus, qui ob summum mineræ æstum, vestibus & ipso indusio exuti laborabant, didici: vapores minerales à centro terræ freqnenter sursum ferri: eorumque lucernas & ipsosmet, ni subitò recedāt, extinguere: aliquanto autem tempore post, in eodem loco illos halitus, ad parietes fodinæ in massam, quæ leui contactu, instar olei fluat, coagulatos reperiri. Vnde fortè quis inferre posset: vaporem esse materiam metallorū remotiorem: succ-

succum verò, sulphureum & mercurialem, propinquiorem. Et sunt mihi ad manum ex eadem fodina, & ex alijs silices, quos seu vapor, seu succus talis mineralis humidus vnctuosus vndiquaque penetrauit: & in quorum alijs, conspicitur materia cruda, nec satis cocta: in alijs mediocriter excocta; ex quorum libra vna, elici possunt drachmæ sex argēti puri, & scrupulus semis circiter auri: in alijs perfectè decocta: ita vt argentum in superficie pullulet, & in vno ramusculi auri puri puti cōspiciantur. Etsi autem sunt, qui ob friuolas quasdam ratiunculas, Mercurium & Sulphur, metallorum materiam esse, inficias eant: tamen satius est, Philosophis metallicis, & metallurgis credere, qui in omnibus fodinis & venis ea reperiri, vno ore attestantur. Ad quorum opinionem, & metallorum excoctores, vstores & probatores accedūt: vt taceam, quod Medici plerosq; fossorum morbos, à Sulphureis & mercurialibus spiritibus

cru-

crudis intra corpus admissis, oriri: & metalla, in externis affectibus, eadem præstare, quæ Hydrargyrum, Imò omnia metalla facili negotio in argentum viuum, & argentum viuum, in omnia metalla reduci possunt.

CALCINATIO SAturni.

Plumbum liquefit in matula terrea, vel olla ferrea, purgaturque à scorijs: deinde aucto igne, vt olla candeat, continua agitatione, cum spatula ferrea, reducitur in calcem; quæ cribellata, postea si diutius reuerberetur, fit minium.

CALCINATIO IOVIS.

Recipe Stanni Anglici non sophisticati (quod ex pondere & malleatione dignosces) libras quatuor. Liquefac in olla plani fundi, & à scorijs purga: deinde inijce aliquid salis Ammonij: & igne aucto, vt olla candeat: impone libram vnam & semis salis pręparati, spatula ferrea tamdiu mouendo, donec in cal-

tem redigatur: quæ igne violento reducitur in corpus, & à sale impuro & denigrato separatur. Iterum miscetur cum libra vna salis præparati, & calcinatur, vt supra. Calx abluitur ab omni salsedine, & reuerberatur ad octiduum, donec vertatur in Alcohol. Sal affusione aceti alkalisati elicitur, digerendo aliquot diebus, postea filtrando & coagulando.

ALITER.

Iupiter potest etiam calcinari, sicut Saturnus, sine additione Salis. Vel possunt etiam calcinari in scutella lignea, creta oblita: si fusi in crucibulo, effundantur in dictam scutellam, & subita agitatione moueantur.

IVPITER DIAPHOreticus.

Recipe Iouis Anglici limati, vel vt suprâ, in scutella lignea, vel terrea non vitreata calcinati vncias duas: Mercurij sublimati vncias quatuor: Simul misce: & per retortam destilla, igne arenæ, apponendo

do vas recipiens, aqua ſemiplenū: eumque deſtillare inceperit, da ignem ſuppreſsionis moderatum, donec omnis liquor deſtillauerit, & præcipitatus fuerit in aquā. Quod autem ad collum retortæ ſublimatur, abraditur, & cum eo, quod deſtillatum eſt, per noctem digeritur. Aqua ſpiritu Vitrioli imprægnata ſeparatur, & ad vſus ſeruatur: calx verò exſiccatur. Doſis à gr. quatuor ad ſex.

CAPVT XV.

De Calcinatione Martis & Veneris.

CALCINATIO MARTIS.

Limaturam Chalybis à ſordibus, ventilatione & ablutione diligenter emunda. Huius recipe libras duas, ſalis præparati libras tres. Miſce ſimul, & in olla terrea reuerbera, per diē naturalē. Maſſam exime, & tere: diſſolue in aqua calida, & laua toties, donec ab omni ſalſedine & terreſtreitate liberetur.

Exſic-

Exſiccatur deinde, & in puluerem ſubtilem, terendo & cribellando reducitur. Poſtea reuerberatur per octo vel decem dies; donec ſuperſicies eleuetur in crocum rubicundiſsimum impalpabilem: quo ablato reliqua pars toties & tamdiu reuerberatur; donec tota in crocum abeat. Vas terreum limaturam continens habeat cooperculum, ne cineres ſuper crocum decidant, ita tamen eleuatum, vt inter vas & operculum, flamma liberum habeat trãſitum.

ALIA.

Paratur etiam crocus Martis è lamina chalybis candente & ſcintillante, immiſſa in magdalonem Sulphuris, cuius vi liqueſcit & decidit granulatim in vas fictile ſuppoſitum frigida vel aceto plenum. Granula exſiccata teruntur in puluerem ſubtiliſsimum, &, ſi placet in crocum reuerberantur, ſpatio ſex vel octo horarum.

Virtutem habet de ebſtruendi,

aperiendi & attenuandi, quam etiã limatura chalybis acquirit, per simplicem aquam, in tenuissimum alcohol redigatur.

ALITER.

Dissolue limaturæ Martis vnciã vnam, in aquæ fortis vncijs octo: digere per noctem: & destilla per alembicum, aquam fortem, in arena. Habebis vnciam & semis croci rubicundissimi.

ALITER.

Reuerbera limaturam Martis, cum ana Sulphuris triti, per quatuor aut quinque horas. Virtutem habet aperitiuam; sed maiorem, si per dimidiam tantum horam calcinetur, cum duplo sui põderis sulphuris triti.

ALIA MARTIS CALCINATIO.

Digere lento calore limaturam ferri, vel chalybis, in aceto ter destillato, donec coloretur. Decanta, quod tinctum est: & aliud acetum reaffunde toties: donec omnem tincturam attraxerit. Depletiones filtratas destilla: & remanebit in fun-

do

do puluis rubeus, qui per diem naturalem reuerberari debet in crocum impalpabilem. Virtutem habet constringendi.

ALITER

Crocus Martis etiam cum oleo sulphuris fit: infundēdo in cochlear ferreum, olei sulphuris & spiritus vini partes æquales, euaporando lento calore, ad consumtionem humiditatis: postea si resideat ad aliquot dies, inuenies puluerem subtilissimum, quem seruabis in phialis optimè clausis, ne aër intret, quia resolueretur. Si aliquot grana in iusculo siue liquore congruo dentur: verum hepatis restauratiuum erit, conducens omnibus morbis, qui inde oriuntur, vt hydropisi & similibus.

CALCINATIO VENERIS.

Dissoluitur Venus in aqua forti; & affusione aquæ tepidæ, cum particula ferri vel argenti, præcipitatur ad fundum vasis. Vel laminæ Veneris reuerberantur in æs vstum in fornace figulorum, quod facili

contritione in calcem reducitur. Vel: laminę ponuntur in crucibulũ, cum parte æquali sulphuris triti, faciendo S.S.S. & reuerberantur tribus vel quatuor horis, in æs vstum.

CAPVT XVI.

De Calcinatione Lunæ & Solis.

CALCINATIO LVNAE.

Dissolue Lunam in aqua forti: & affusione aquæ salsæ, præcipita ad fundum matratij, in calcem candidam quę frequenti aquę communis affusione edulcorari debet, & exficcari. Huius calcis recipe vnciam vnam: Salis præparati vncias duas: Salis ammonij drachmas duas. Hæc probè misce in mortario vitreo, & reuerbera per octiduum. Elicitur postea tinctura cum spiritu vini alkolisato, & circulatur. Confert maniæ & alijs cerebri afffectibus.

CALCINATIO SOLIS.

Fac amalgama Solis, per cæmentum repurgati, cum sex partibus Mer-

Mercurij vt ſequitur. Accipe aurum laminatum, quod in minutas particulas forficibus ſcinde: & in crucibulum mundum, inter carbones viuos pone, vt aurum ſaltem igniatur. Deinde ex alio tigillo, mercurium calefactum, ſuper aurum effunde, & bacillo miſce: vt incorporentur. Tum proijce in frigidam: & maſſam optimè lot am traijce per corium, & mercurium ſuperfluum exprime, vt remaneat maſſa ſatis dura, quę diu teri debet cum duplo ſui ponderis ſalis præparati, in mortario vitreo: ita vt nihil de amalgamate appareat. Hoc totum pone in crucibulum coopertum & lutatum, paruo ſaltem foramine peruium: & reuerbera per diem naturalem: tali cautione adhibita, ne aurum liqueſcat. Hoc facto: reperies aurum calcinatum; mercurium verò cum ſale, in auras euolaſſe. Tum aurum denuo amalgama: & per coriũ traijce vt ſupra: & miſce cum duplo ſui põderis ſulphuris viui & optimè tere: & pone

in scutellam terream vitreatam, su perfundendo optimum vini spiritum, qui accendi debet. Post cuius deflagrationem & sulphuris, reperies aurum spongiosum & valde attenuatum: præsertim si idem processus bis vel ter repetatur. Aliqui amalgama cum floribus sulphuris terunt, & in crucibulo ponunt inter carbones viuos, bacillo ferreo continuè mouendo, donec mercurius in auras abeat. Hæ veræ philosophicæ præparationes sunt, ad aurũ potabile & alias operationes physicas.

Antequam autem aurum calcinetur calcinatione philosophica: debet, vt dictum est, cæmentari cæmento vel vulgari, vel regali. Cæmentum vulgare ita fit: Recipe farinæ laterum vncias octo.

Salis præparati vnc. quatuor:
Vitrioli albi vncias duas:
Salis petræ,
Æruginis ana vnc. semis.

Cæmentum regale, quod soli auro probatissimo parcit, recipit.

Fari-

Farinæ laterum partes quatuor:
Salis Ammonij,
Gemmæ,
Communis præparati, partes singulas.

Commista vniantur: & vrina humectentur. Quidam auri bracteas, antequam cumponantur, candefaciūt, sinuntq; refrigescere: vt si quod inquinamenti in cute hæserit, id consumatur, & liberiorem accessum & impressionem relinquat medicaminum acumini. Omnibus ritè præparatis: ollæ cæmentatoriæ inspergitur puluis ęqualiter, crassitie digitali. Huic imponuntur bracteæ vrinâ irrigatæ, eo ordine & modo, vt æquali situ, se non contingant mutuo, ne corpus corpori cohærens id accendat: caloreque aucto, oras colliquet. Dispositæ primo ordine bracteæ obruuntur medicamine, dimidij digiti crassitie: sequuntur bracteæ, atque ita vicissim vsque ad ollæ marginem, quam tantum implere debet medicamen, quantum est in fundo, nempe ad

crafsitiem digiti tranfuerfi. Vltimò imponitur operculum fine refpiraculo, fi pro cæmento vulgari; at fi pro regali: operculum habeat foramen paruum. Ignis datur ad viginti quatuor horas: ita vt olla fiue pixis femper rubefcat. Finito opere: bracteę pede leporino purgantur à pulueribus adhærentibus; & vrina lauantur, & exficcantur.

Omnium autem perfectifsimum cæmentum eft iftud, quod fequitur. Liquefac aurum cum duplo fui põderis optimi cupri: reduc in lamellas tenuifsimas inftar Papyri: quas cęmenta per quadraginta vel quinquaginta horas, igne forti, faciendo S S S. vt in cæmento regali dictũ eft, cum farina laterum, fale communi, colcothare, viridi æris & modico fale armoniaco, cum aceto forti permiftis. In hoc examine, totum cuprum euanefcit, fulphure ipfius incombuftibili & tinctura, in auri fubftantia remanente: cum tefte Gebero, decimo octauo capite fornacum, à cupro extrahatur fulphur

mun-

mundiſsimum tingens & fixum.

BEZOARTICVM METALlicum.

Diſſolue in aqua Philoſophica, ſolis puriſsimi drachmas duas: cui adde guttatim liquoris gummoſi ſepties rectificati vnciam vnam. Fiet maxima ebullitio. Pone matratium ſuper cineres calidos, ad tres vel quatuor horas. Tum præcipita in aqua communi & ſæpius ablue: vltimò cum aqua cordiali: & tandem exſicca. Habebis lapidem admirandæ virtutis: cuius grana ſex ſudores egregiè mouent.

CERAVNOCRYSON DIAphoreticum

Diſſolue ſolem puriſsimum in aqua philoſophica, & per noctem digere in arena: Deinde ſuperfunde guttatim oleum Tartari: donec ceſſet ebullitio, & calx auri ad fundũ vaſis præcipitetur, quæ multis ablutionibus edulcorari debet, & igne lentiſsimo exſiccari, Doſis granorum trium vel quatuor.

Ex hoc Diaphoreticum parari

poteſt adhuc præſtantius, hunc in modum: Recipe Ceraunocryſi quinque vel ſex grana: eaque impone in vaſculum argenteum, & ſuperfunde ſpiritum vini rectificatum optimè, quem incende: & deſuper vitrum criſtallinum ſatis ampli orificij ſuſpende. Quamprimum ſpiritus vini ardere deſierit, ceraunocryſon officium ſuum faciet, & pars quædam terrea ad parietes vitri ſublimabitur. Hoc quater vel quinquies repete, & vitrum cum ſpiritu vini laua, vt calx fundum petat, quæ exſiccari debet. Doſis gr. vnius aut duorum.

CAPVT XVII

De Salibus.

MODVS ELICIENDI SAL eſſentiale ex herbis ſine Calcinatione.

REcipe cardui benedicti quantitatem magnam; contunde in mortario lapideo vel ligneo: poſtea in alueo amplo, cum magna aquæ quantitate coque, vſque ad medio-

diocritatem: deinde fortiter exprime & cola. Colaturam iterum coque vsque ad spissitudinem mellis liquidi. Succus iste Cardui benedicti ponatur in vase vitreo, in loco frigido, per dies aliquot: & generabit in fundo vasis sal cristallinũ, angulare, in modum salis gemmæ. Effuso succo colligitur, & aqua cardui benedicti abluitur & exsiccatur, quod diligenter serua. Est enim pręstantissimum remedium in peste, si eius grana duo plus minus, in Cardui benedicti spiritu exhibentur, sudores abundè prouocant. Eadem quoque ratione fit sal ex alijs herbis, qui multis modis antecellit salem, qui ex cineribus herbarum cõficitur.

SAL ESSENNTIALE, CREMOR, siue Cristallum Tartari.

Recipe Tartarum Montispeliense album, quod est optimum: reduc in puluerem, & fac in magna aquæ quantiate, in cacabo æneo vel ferreo bullire ad medię partis cõsumtionẽ. Tunc amoue ab igne, & si vis

 traij-

traijce, per manicam Hippocratis, vel pannum lineum, in vas figulinũ firmum. Vbi refrixerit: aquam per inclinationem effunde: & salem parietibus vasis adhærentem, separatis fecibus, frequenti aquæ affusione collige: & iterum, vt supra decoque, laua, à sordibus separa & exsicca. Tandem reduc in puluerem: cuius dosis drachma vna in iusculo, vel medicamine appropriato. Virtutem habet incidendi humores crassos & tartareos: meatusque obstructos aperiendi.

SAL SIVE ALKALI
Imperatoriæ:

Siccatam calcina ad albedinem: salem extrahe cum aqua eiusdem herbæ stillatitia vel communi, digerendo per noctem. Postea aquam per inclinationem effunde: cauendo, ne feces turbentur, aliam vsque tertio reaffunde, digerendo vt supra. Tandem depletiones filtra & coagula. Si coagulum non sit satis album: calcina in crucibulo ad rubedinem; cauendo, ne liquescat: deinde

inde

inde resolue, filtra & coagula.

Sic extrahitur sal ex omnibus herbis: sed tali calcinatione perit sal volatile, siue essentiale, manetq; solum elementale.

SAL TARTARI.

Sternitur Tartarum in vase terreo non vitreato plani fundi, crassitie digitali. Reuerberatur postea ad albedinem vsque spatio quinque vel sex horarum, igne ita moderato, propter fusionem vt vas saltem candeat. Tartarum ita ad albedinē calcinatū, perfunditur aqua communi; digeritur, filtratur, & coagulatur.

SAL CORALLORUM.

Hoc fit, digerendo corallos tritos, in aceto ter destillato, per noctem: postea filtrando, & acetum ad siccitatem euaporando. Sic sal corallorum manet in fundo vasis.

Vires eius sunt excellentes. Sanguinem enim in vniuerso corpore mundificat: pristinum sanitatis vigorem restituit: fluxus vteri, ventris, hæmorrhoidum sistit: roborat

cor & ſtomachum: omnes obſtru-ctiones viſcerũ reſerat, concretum-que ſanguinem diſſoluit. Prodeſt & in hydrope, conuulſionibus, paralyſi, calculo, ſuffocatione matricis, ſi cum aqua affectui præter naturã conueniente exhibeatur. Doſis à granis decem, ad ſcrupulum vnum vel duos pro ratione ætatis & vehementiæ morbi.

SAL COLCOTHARIS.

Colcothar perfunditur aqua pluuiali, & ſal digeſtione vnius diei vel noctis in eam ingreditur, filtratur, coagulatur. Rubedo reliqua ſi ſexies aut quinquies iterum calcinetur, & ſalſedo ſemper eluatur: tãdem dulcis relinquitur, & vocatur dulcedo Vitrioli, quæ maior eſt, ſi ex Vitriolo Veneris paretur, & præſens eſt in vlceribus malignis remedium.

VITRIOLVM VOMItiuum.

Diſſolue vitriolum album in aqua communi, filtra & coagula, repete hoc ſecundo, tertiò diſſolue in aqua roſacea & coagula.

ALI-

ALITER.

Diſſolue vitriolum album in aqua deſtillatá: filtra: & in vaſe vitreo aquam exhala, donec cuticulam supernè cõtrahat. Tum vas pone loco frigido, vt criſtallos producat: quibus ſeparatis reliquum humorem euapora: & vt ſupra criſtalliſa, hocque ſecundò repete. Tertio criſtallos in aqua roſacea diſſolue: exhala: & vt ſupra criſtalliſa, igneq; lento exſicca. Doſis à ſcrupulo vno ad drachmam ſemis, in hauſtu vini vel cereuiſiæ, aut conſerua roſarũ. Operatur feliciter in febribus, ventriculi affectibus, catharris, lumbricis, peſte, &c.

SAL SIVE VITRIOLVM Martis.

Accipiatur ſpiritus Vitrioli, vel olei Sulphuris per campanam facti, licet non rectificati vncia vna, cui immiſceantur vnciȩ duȩ aquȩ communis. Huic miſtioni impone limaturæ ferri vnciã vnam, in matratio, quod obſeratum colloca in cineres calidos, vt bulliat lentiſsime, ſpatio

ſex

sex horarum. Postea infrigidari sponte permitte: & inuenies in vase generatum Vitriolum, viride, splendens, quod calore dissoluitur, frigore coagulatur.

SAL SIVE VITRIOLVM *Veneris*.

Cuprum calcinatum, siue squamas cupri reduc in puluerem subtilem, quem in aceto destillato, per diem naturalem digere. Tinctum acetum per inclinationem effunde: & aliud reaffunde toties; donec nō tingatur vlterius. Depletiones filtra: & ex tribus partibus euapora, vel destilla: quod relinquitur in fundo vasis; ponatur in locum frigidum: sic generabitur Vitriolum viride, obscurum, splendens.

ALITER.

Laminæ Veneris cum ana sulphuris triti, vt dictum est in calcinatione Veneris, reducuntur in puluerē subtilem: & in olla terrea, cum sulphure trito, calcinantur; continuè baculo cupreo mouendo, donec totum sulphur vstum fuerit. Calx denuo

nuo teritur; & cum octaua parte sui ponderis sulphuris triti calcinatur: vt supra teritur; & in aquam feruentem projjcitur, baculo sæpius mouendo, dum calx fundum vasis petit, donec aqua refrigeretur: quæ filtrata euaporatur ex tribus partibus, & ponitur in locum frigidum; vt cristallos cæruleos producat, vel ex toto euaporet.

SAL SATVRNI.

Calx Saturni siue Minium perfunditur aceto destillato, vel saltẽ eius phlegmate: digeritur per diem naturalem, sæpius agitando: menstruum detrahitur, aliudque substituitur, donec omnis salsedo abstrahatur: depletiones filtrantur, & in cineribus vel arena coagulantur. Si acetum tertio destilletur à sale Saturni cum cohobijs: postea superfundatur vini spiritus, & destilletur cum trina cohobatione: sal sic virtutem acquirit admirandam in sanandis diuersis morbis. Si eius sex grana dentur in peste, cum vino albo: curatur æger intra viginti quatuor

tuor horas. In hydrope dantur tria grana in vino albo, quatuor diebus continuis: In colica ſex grana cum vino albo: In lepra itidem ſex, cum aqua Fumariæ, continuè per octodecim dies. Saccharum hoc intra corpus ſumptum, frigiditate ſua, libidinem etiam veneream exſtinguit: ac propterea vtile ijs, qui in cœlibatu viuunt. Extrinſecus vſurpatum mira præſtat in vlceribus corroſiuis, malignis cancroſis, lupo & ſimilibus. Contra putredinem oris etiam, & impetigines, ambuſta, inflammationes, tumores, puſtulas faciei rubras, præſtantiſsimum eſt medicamentum: ſi cum oleis aut aquis conuenientibus applicetur.

CAPVT XVIII.

De Floribus.

FLORES BENZOINI.

BEnzoinum teritur, & ollæ rotũdę imponitur, deinde clauditur duplici charta emporetica, conuoluta in modum manicæ Hippocratis:

tis: & datur postea ignis ad sublimationem idoneus: floresque niuei sæpius colliguntur.

Valet ad asthma, & omnes pulmonum morbos. Dosis scrupulus semis in liquoribus vel syrupis idoneis. Topicum etiam remedium est ad tubercula & ruborem faciei.

FLORES SVLPHVRIS.

Parantur miscendo æquales partes sulphuris & colcotharis perfectè rubificati exsiccatique; & sublimando, vt in Antimonio (spatio tamen octo horarum operatio hæc perficitur, nec tanto opus est igne, vt in Antimonio) dicetur. Secundo sublimantur cum saccharo candi solo, vt maius ad asthma & alias pulmonum affectiones conferant auxilium. Fit etiam hęc florum pręparatio, miscendo ad libram vnam sulphuris, libram vnam & semis farinæ laterum: Vel, ad libram sulphuris, addendo Colcotharis & salis decrepitati ana libram semis: Vel per se etiam absque vlla additione.

Flo-

Flores hi valde resistunt putredini, ac propterea in peste tam præseruationis, quam curationis gratia, vel in aqua Cardui benedicti, vel Theriaca, vel syrupo citrio, vel aqua Melissæ, ad drachmam vnam vtiliter vsurpantur. Præseruant à febribus & epilepsia. Sudorem in lue venerea promouent. Conducũt in omnibus morbis, qui exsiccatione opus habẽt: in omnibus pulmonum affectibus, asthmate, tussi antiqua & recente, catharris ad pectus defluentibus: pleuresi, colica: apostematibus & putrefactionibus corporis.

FLORES ANTIMONII.

Electum stibium in subtilem puluerem redactum, ex aludele terreo in alembicum rostri expertem quidem, sed tamen in vertice peruium ad humidos spiritus emittendos, cum mobili cono, sublimetur secũdum artem, dando ignem per gradus ad decem vel duodecim horas, ad flores albos excipiendos: ad citrinos; per vigintiquatuor horas: ad

rubeos, per triginta sex, ignem con tinuando & augeudo.

MERCVRIVS SVBLIMATVS.

Recipe Mercurij purgati per salem præparatum, acetumque, & per corium traiecti:
Vitrioli rubificati:
Salis præparati ana lib. vnam:
Salis Nitri vncias quatuor:

Terantur, & misceantur simul in mortario lapideo, cum modilo aceto, tamdiu, donec mercurius nullo modo appareat viuus. Omnia bene mista pone in cucurbitam lutatam: cui superpone alembicum rostri breuis: dando ignem per gradus, vt artis est, per octo vel decem horas. Aqua fortis, quæ primo effluet, seruetur. Pro secunda sublimatione: ad libram vnam sublimati, addãtur salis præparati vnciæ duodecim, & Vitrioli vnciæ quatuor. Si tertio: sale tantum sublimetur.

SVBLIMATVS DVLCIS.

Recipe Mercurij purgati vt supra, vncias sex.
Mercurij sublimati vncias octo:

Tere

Tere simul, & misce cum libra vna colcotharis perfectè rubificati. Deinde sublima ex matratio, in arena, spatio quinque vel sex horarũ. Secundo sublima cum media libra colcotharis. Tertiò per se tantum. Qui voluerit, loco colcotharis vti poterit sale præparato. Finitis sublimationibus, massa redigitur in puluerem subtilem, qui aqua rosacea abluitur & exsiccatur. Dosis à viginti granis ad triginta, in lue Venerea.

ALITER.

Recipe Mercurij sublimati vnc. sex:
Foliorum Lunæ vncias duas:

Tere simul: misce: & sublima ex matratio, in arena. Vase refrigerato: partem volatilem separa: fixiorem & cristallinam tere: & cum fecibus in imo vasis relictis, misce: secundo & tertio sublimãdo, vt supra, & tandem abluendo. Dosis à gr. sex, ad octo, vel decem. Purgat suauiter.

MANNA MERCVRII.

Dissolue Mercuriũ in aqua forti. Postea aqua marina præcipita: & ex

cucurbita, per arenam deſtilla, ignem ſub finem augendo: vt mercurius ad latera vaſis ſublimari poſsit. Vaſe refrigerato, fecibus in imo vaſis ſubſidentibus abiectis, ſublimatum ſeorſim collige: & iterum in eadem aqua diſſolue, & deſtilla, vt ſupra. Habebis Aquilam cæleſtem niue candidiorem: cuius vſus in morbis venereis maximè. Doſis à granis decẽ ad quindecim. Purgat tantum per inferiora.

CAPVT XIX.

De Magiſterijs.

MAgiſterium eſt, quando corpus miſtum ita prçparatur arte chymica, citra extractionem: vt omnes eius partes homogeneæ ſeruentur, in nobiliorem vel ſubſtantiæ vel qualitatis gradum traductæ exterioribus impuritatis ſegregatis.

MAGISTERIVM TARTARI.

Recipe olei Tartari ex ſale reſoluti & purificati vncias quatuor: Spiritus Vitrioli vnciam vnam:

Quem

Quem guttatim ſupra Tartari oleum in vitrum capax inſtilla: fiet coagulum albiſsimum. Humiditas ſuper natans euocetur lento calore ad ſiccitatem ſalis: ſuper quem deſtilla ter vel quater vini ſpiritum: atque ita habebis Tartarum album vitriolatum fixum.

Vſus eius eſt in omnium viſcerũ obſtructionibus: calculo: nephritide: ictero menſium retentionibus melancholiâ: ſplenis duritie: febribus: hydrope: ſi conuenienter exhibeatur. Doſis à ſcrupulo ſemis ad integrum.

MAGISTERIVM PERLARVM & Corallorum.

Diſſolue corallos ſiue perlas tritas in aqua, valde acida facta cum ſpiritu vitrioli. Digere per noctem: & ſuper diſſolutionem prius filtratam inijce guttatim oleum Tartari: & fiet inſtar lactis. Superfunde aquam com munẽ, & digere: ſic præcipitabitur puluis candidus ad fundum vaſis. Aqua ſeparatur, & alia ſuperfunditur ter vel quater: donec omnis

omnis acrimonia separetur. Tandem puluis exsiccatur & ad vsus seruatur.

Margaritæ temperie & viribus aurum valde æmulantur: ac proptea spiritus cordis vitales corroborant: palpitationem cordis, animi deliquium & vertigines tollunt: & merito omnibus cordialibus medicamentis misceri debent: appetentiam Veneris excitant: melancholię resistunt: dentes dealbant: memoriam confortant, & fœtum in vtero: omnes prauos humores in corpore existentes exsiccant: & à varijs morbis omnes corporis humani partes præseruant. De corallorum viribus, in sale eorum dictum est.

MAGISTERIVM, LAC, CREMOR seu Butirum Sulphuris.

Recipe florum sulphuris vnc. vnã:
Salis Tartari vncias tres:
Misce: & superfunde,
Aquæ communis libras tres:

Digere in arena, per diem naturalem: ita vt sub finem aqua ferè bulliat: postea filtra calidè per char-

tam emporeticam: & superfunde aceti destillati q.I. Sic cremor lacteus sulphuris paulatim petet fundum. Separa dissoluens per inclinationem: & reiteratis ablutionibus materiam edulcora. Vltimò digere cum aqua cordiali, & exsicca: & ita habebis lac siue cremorem sulphuris albissimum: qui balsamum est humidi primigenij: confortat vires naturales: sanguinem purificat, morbos pulmonum, vti tussim, asthma, phtisin curat: in exsiccandis catharris, ventositatibus stomachi tollendis, schiatica & podagra summopere commendatur esse vtilis: ab apoplexia, peste, lepra, & neruorum conuulsionibus pręseruatiuũ egregium: hecticis etiam sua confortatione prodest. Tantum pulueris cum aquis specificis commiscetur: quantum ad eas albicante colore tingendas satis est. Datur mane & vesperi cochlear vnum; & ante exhibitionem accuratè cum vehiculo humido commiscetur.

ALI-

ALITER.

Fit etiam: miſcendo ſulphur tritum cum arenæ vel vitri tuſi ana æqualibus partibus: & deſtillando per retortam, igne moderato: apponendoque vas recipiens: quod acetum deſtillatum contineat. Et ſic ſubſtantia ſulphuris deſtillata præcipitabitur in puluerem albũ, quẽ exſiccabis. Hoc antidoto vtebatur princeps Auraicus contra peſtem.

ALITER.

Lac ſulphuris fit etiam cum ſulphure & arena miſcendo cum aqua vitæ, & deſtillando in cineribus per retortam. Valet ad cancros Venereos, vlcera maligna, ſerpigines, lichenes, &c.

CAPVT XX.

De Tincturis Solidiuſculis & Panacæis.

TINCTVRA ANTIMONII.

FAC capitellum ex cinere clauellato, calce viua, & cineribus cõmunibus ana: in quo diſſolue Hepar Antimonij; digerendo in arena per noctem; vt ferè bulliat. Tinctu-

ram ſepara:& filtra:& ſi placet,per acetum,in puluerem croceum prę-cipita,ac multis ablutionibns edul-cora.

PANACAEA VITRIOLI

Diſſolue vitriolum cæruleum, in aqua pluuiali deſtillata calida: quam tertio filtratam lento balnei calore euaporare facies; donec cuticulam in ſuperficie contrahat, Tum liquorem reſtantem calidam proijce in vas plumbeum, in quo prius bacillos hinc inde tranſuerſos,per circuitum poſueris.Ita per triduum in loco frigido relinque: vt criſtallos virides producat:quibus ſeparatis liquorem reſtantem decoque: & in eodem vaſe plumbeo repone:toties id repetendo; donec omnis liquor in criſtallos abierit. Vitriolum ſmaragdini coloris,his reiteratis diſſolutionibus &coagulationibus ſummè depuratum reduc in puluerem ſubtilem, quem ſpatio quinque vel ſex dierũ tali calore exſiccabis,nt æſtiualem Solis non excedat: donec foris & intus

intus candidum appareat. Tum dissolue in aqua destillata: filtra: quod indissolubile, abijce: coagula in vase plumbeo: exsicca in hypocausto, ad albedinem, vt supra: reiterando hanc operationem, vsq; tertiò, vel donec in dissolutione nihil maneat indissolutum Vitriolum hoc candidum pone in matratium firmum, sigillo Hermetis munitum: quod in cineribus ita calidis colloca: vt solis æstiui calorem ne excedat, Dicimo die flauescet: vigesimo reducetur in alcohol, fietque instar sanguinis rubicundissimum. Vase fracto impone in cucurbitam altam, & desuper funde acetum tertiò destillatum: vt supereminеat quatuor ad minimum digitis. Super pone alembicum cæcum, & per quatriduum in balneo tepido digere, spatulâ ligneâ quotidie mouendo. Vase refrigerato: quod tinctum est effunde: aliudque acetum reaffunde: digere: moue: separa toties; donec acetum vlterius tincturam non attrahat. Quod in fundo remanserit, abijciendum

dum. Acetum tinctum lento balnei calore ad ſiccitatem deſtilla. Manebit in fundo puluis rubicundus, quem etiam tertiò in eodem aceto diſſolues: digeres: ſeparabis: deſtillabis: exſiccabis. Puluerem rubicundiſsimum pone in retortam, adhibito receptaculo grandi, dando ignem per gradus. Primò egredietur ſpiritus flauus, poſtea rubicundiſsimus. Continuetur ignis in eodem gradu: donec appareant ſpiritus albi. Tum ceſſandum, Vaſe refrigerato: reperies in fundo retortæ, terram diaphanam, puram, candidiſsimam, quam ſpiritibus ſupra dictis paulatim imbues, digerendo, imbibendo: donec ſpiritus & anima proprio corpori ſint reſtituta. Tandem terram hanc benedictam, in athanorem, in vaſe hermetice clauſo, per quadraginta dies decoque, donec figatur. Doſis eius à granis tribus ad quinque vel ſex in morbis deploratis maximè.

PANACAEA SOLARIS
Diaphoretica.

Stomachus ſtruthionis paracelſi.
Recipe aquę philoſophicæ lib.vnā,
Mercurij ſublimati vnc.duas:
Miſce:& in hac aqua ſolue mercurij; tantum, quantum ſolui poteſt. Diſſolutio tardè procedit: ac propterea opus eſt digeſtione. Solutioni adde liquoris gummoſi vnc.duas. Miſce, & deſtilla, idque bis vel ter, donec aqua nullas feces poſt ſe relinquat. In omnibus deſtillationibus adſcendet mercurius ſublimatus, quem ſingulis vicibus in aquam repones. Hac aqua extrahitur quinta eſſentia metallorum mineralium & marcaſitharum.

Spiritus vini Tartariſatus.

Deſtilla feces vini exſiccatas, in modum aquæ fortis. Aquam & oleum ſepara & ſerua. Interim feces ad albedinem calcina, quas oleo ſupradicto imbibe: & vt ſupra deſtilla & calcina, toties id opus repetēdo; donec oleū fuerit clarū, vt aqua & dulce, nec aduſtionem ſapiat. Ita

habebis quintam eſſentiam tartariſatam, quæ corroſiua omnia ex metallis tollit.

Solis ſublimatio.

Recipe Solis per Antimoniũ purgati & in bracteolas ſecti, vel eius loco,
Solis foliati vncias duas:
Stomachi Struthionis vnc. quatuor:

Solue: & deſtilla per alem bicum. igne forti ſub finem, ad ſublimationem vſque, vt vitrum candeat. Vaſe frigefacto: cohoba & deſtilla, idque ter repete, ſingulis vicibus, quod ſub imatum fuerit, ſeparãdo. Quartò deſtilla lente phlegma, & iterum nouum affunde ad vncias quatuor: & fac vt prius, donec tota aqua cõſumta, & omne corpus exaltatum & ſublimatum fuerit in albedinem exaltatæ aquilæ, id eſt, mercurij ſublimati. Tunc lauda Deum. Denuo totum ſublimatum repone cum phlegmate, deſtillando phlegma ſine adſcenſione ſpiritus.

Mercurius vitæ.

Fit,

Fit, vt est in Archidoxis Paracelsi, libro de arcanis, cum parte vna Antimomij, & parte vna, vel secundum alios, duabus Mercurij sublimati. Rectificatur postea, & soluitur supra marmore vel vitro, deinde congelatur, destillando phlegma, & modicum aciditatis; donec guttæ in phlegma decidentes incipiant præcipitari. Tum amoto recipiente & alio subst:tuto, destillatio igne moderato vrgetur. Hoc quater repeti debet: quartò massa erit clara & alba.

Coniunctio solis sublimati & Mercurij vitæ.

Recipe Solis sublimati, siue olei eiusdem supradicti sine phlegmate partem vnam:
Mercurij vitæ clarificati partes duas

Misce simul: & lento igne destilla spiritus. Quod coagulatum remanserit, solue supra marmore: tertiò solutionem & coagulationem repetendo. Tum supra hanc materiã affunde duas partes quintæ essentiæ

tartariſatæ, deſtillando per alembicum ad ſiccitatem vſque: reaffundendo aliam deſuper toties, donec eſſentia dulcis deſtilletur, vt impoſita fuit. Quo facto: ſuper huius medicinæ partem vnam, affunde partes quatuor ſpiritus vini ſine phlegmate: digerendo, donec conſumatur. Sic habebis ſolis & Mercurij vitæ coniunctionem: cuius doſis guttarum quatuor, in vino albo. Prodeſt in omnibus morbis deſperatis, & ijs, quorum cauſa eſt occulta.

TYROCINII CHYMICI.

LIBER TERTIVS.

DE QINTA ESSENTIA CAPVT I.

DE *Essentia quinta sanguinis humani.*

QVINTAE Essentiæ vocabulum homonymum est. Interdum significat quãuis speciem Chymicam crassitie materię elementaris, corpulentisque fecibus exutam: ac opponitur magisterio, in quo tota substantiæ moles ferè remanet, sed exaltata & depurata. Interdum, vt nos eam hic accipimus, denotat

substantiam æthercam, cęlestem, ac subtilissimam; è tribuus principijs cuiusuis corporis misti soluti, á qualitate elementari sensibili, corruptibili & mortali, per varias operationes chymicas, orbatis, & in vnum, seu corpus spirituale, seu spiritum corporeum coagulatis, conflatã. Dicitur à quibusdã Medicina, κατ' ἐξοχὴν: ab alijs Elixir, ob insignes virtutes, quas in præseruatione corpors humani à varijs morbis, exerit: ab alijs Cœlum, duplicem ob rationem, Primò, quod sicut cœlum, non ex quatuor elementis; sed materiâ quadam æthereâ & quinto quasi elemento factum, nec corruptioni vlli obnoxium est: ita & quinta essentia vera, ab omnibus fecibus elementorum sit secreta: ac quamuis non plane incorruptibilis: attamen ad eam subtilitatem, tenuitatẽ & simplicitatem spiritualem redacta, vt nihil heterogenei, à quo corrumpi posit, in se continere videatur. Deinde, quòd sicut cœlum in hęc sublunaria potenter agit, rebus om-

omnibus vitam largiendo & conseruando: ita etiam hæc quinta essentia corporis humani valetudinẽ conseruet, iuuentam extendat, senectam remoretur, & omne morbi genus abigat.

Cæterum quinta essentia sanguinis humani paratur hunc in modũ. Recipe quantitatem satis magnam sanguinis virorũ sanorum, in flore ætatis constitutorum: pone in vase circulatorio iustæ capacitatis in B. M. continuè bulliens, donec Draco propriam caudam deuorauerit. Vasis refrigeratis materiam exime quæ instar hæpatis erit eamque in particulas scinde: & per cucurbitas altas, eodem balnei calore, elementum aqueum siue phlegma destillatione separa. Destillatum super propriam terram reaffunde & pone in B. bulliens in ijsdem vasis circulatorijs, per decem dies vt supra, postea phlegma destillando & propriæ terræ reaffundendo, vt supra, quinquies eundem processum repetendo, & vltimo totum phlegma

destillatum reseruando. Vasis frigefactis, materiam exime, & retortæ amplæ inde, adhibito recipienti capaci: destilla ex cineribus elementum aëris, igne graduato. Nubeculis in recipiente disparentibus, igni intendatur: vt elementum ignis in forma olei rubri siue purpurati egrediatur. Sub finem sublimabit se aliquid de sale Armoniaco. Vasis refrigeratis: separa aërem siue spiritum ab igne, siue oleo, vel blāda destillatione balnei, vel per tritoriū. Spiritum cum sale armoniaco reaffunde fecibus, digere per triduum: & per retortam nouam destilla, sub finem dando ignem ad sublimationem idoneum, vt totū sal spirituale, vel saltem maior pars sublimetur, & cum spiritu in recipiente misceatur. Nouū spiritum fecibus reaffunde: digere: & destilla toties, vt supra; donec terra priuetur anima: quod cognosces quando super laminam candentem posita fumum non ediderit. Notandum, antequam spiritus animetur, debe-

debere septies rectificari; singulis vicibus phlegma & fæces separando: & pars eiusdem seorsim reseruari, pro dissoluente parando, vt postea dicetur. Nigrum nigrius nigro calcina in reuerberio, spatio quinque dierum, igne moderato, in vase vndique clauso; donec nigredo vertatur in albedinem subflauam, & tandem in rubeum colorem. Tum terra apta erit ad susceptionem spiritus animati. Imbibe terram calcinatam proprio phlegmate, & per viginti quatuor horas in cineribus digere, & destilla; hoc ter repetendo. Terræ exsiccatæ da decimam partem sui ponderis spitus animati: digere in balneo, quantum satis; postea humiditatem insipidam destilllatione blanda separa. Reaffunde nonam partem spiritus animati: digere: destilla supra. Deinde da octauam partem spiritus animati: postea septimam: sextam: quintam: quartam partem: tamdiu cum quarta parte imbibendo; donec terra in duplum

plum ſui ponderis accreuerit. Et hoc eſt, quod Auicenna dicit; Scias, quod terram oportet nutriri, primò modicè aquâ ſuâ, & poſtea maiori, ſicut videre eſt in infantis educatione. Idcirco multoties contere terram & paulatim imbibe eam, de octo in octo diebus: decoque: & poſtea mediocriter calcina in igne: nec tędeat te opus multoties reiterare: quia terra fructum non gerit abſque frequenti irrigatione. Caueas tamen, ne imbibas terram, niſi paullatim, & cum longa contritione, poſt ſiccationem terræ. Vnde in hoc eſt pondus vbique notandum, ne ſcilicet nimia ſiccitas, vel ſuperflua humiditas opus corrumpant. Et in tantum decoque aſſando, quãtum diſſolutio expoſcit imbibẽdo. Hæc Auicenna. Vnde etiam Geber. ait: ex multiplici ergo reiteratione imbibitionis & aſſationis, maior pars eius aqueitatis deletur; reſiduum vero per ſublimationem.

Pone itaque terram prædictam in cucurbitam altam, cui alembicũ

cum receptaculo ſimul adapta, rimulis diligenter cōſtipatis, nequid reſpirare poſsit. Et da ignem cinerum, ſpatio duorum dierũ, quouſque fumus ille mundus & albus adſcendat, & inſtar Talci ad latera cucurbitæ hæreat. Et hoc eſt, quod dicit Clangor buccinæ: Idcirco quantò magis poteris, ipſum corpus ſubtilia: & cũ mercurio mundo coque: cumque corpus aliquam partem mercurij in ſe hauſerit & concluſerit: ipſum ſubtilia cito igne & fortiori, quo poteris: donec aſcendat in ſimilitudine albiſsimi pulueris, in modum niuis, adhærens ſpondilibus Aludel. Cinis verò in fundo manens eſt ſex, & ſcoria vituperata abijcienda, in qua nil vitæ *habetur.*

Prædicti mercurij meteoriſati accipe vnciam vnam: miſce cum ſeptem vncijs ſpiritus rectificati non animati. Digere per biduum in balneo, poſtea deſtilla per cineres: deinde per balneum cum reiteratis cohobijs; donec nullas relinquat feces. Tandem per quadraginta dies

circu-

circula. Vſus eius ad tincturas metallorum lapidum eliciendas.

℞ Ex eodem Mercurio & eius oleo fit elixir ad deſperatiſsimos quoſq morbos pellẽdos, in hunc modum: Recipe huius Mercurij vnciam vnam: cui adde octauam partem ſui põderis olei rectificati: decoque in Athanore per octiduum: poſtea imbibe cum ſeptima parte: & vt ſupra, decoque: deinde cum ſexta parte: tandem cum quinta toties reiterando, donec materia fiat inſtar Syrupi ſpiſsi, nec vlterius decoctione induretur. Tum per quadraginta dies decoque: & fiet lapis rubicundus, cuius doſis granum vnum, vel duo in liquore appropriato.

CAPVT II.

De quinta vini eſſentia.

POne vinum generoſum per mẽſem, in ventrem equinum vel eius vicarium, in vaſis circulatorijs iuſtæ amplitudinis. Poſtea deſtilla in B. M. ſpiritum in cucurbitis altis quem quater rectificatum, ſingulis

vici-

vicibus ſeparando phlegma, ſepties adhuc deſtilla ita vt ex libris quadraginta vini vnâ ſepares ſpiritualiorem (nam quod inter ſpiritum & phlegma deſtillatur, aqua ardens eſt) Spiritum vaſe vitreo ſemipleno probè obturato, ne reſpiret, ſerua loco frigido. Interim phlegma deſtilla reſiduum vſque ad mellis liquidi conſiſtentiam. Quod prolectum eſt, redde fecibus: & iterum lento balnei calore tres partes euoca: deinde cucurbitam exime: & pone loco frigido, vt criſtallos producat: quos ab omnibus ſordibus elutos toties diſſolues & coagulabis donec aquæ limpidiſsimæ glaciem æmulentur. Interim ſi artis vim & oleum pingue & combuſtibile è vino quæris: phlegma à criſtallis ſeparatum in B. vſque ad mellis liquidi ſpiſsitudinem deſtilla: poſtea in retorta per arenam pelle. Aqua oleo flauo miſta prius egredietur: deinde oleum rubrum: vltimò reſina. Criſtallis minutiſsimè tritis ſuperfunde ſpiritum ſuperius

ſer-

seruatum: digere in B. per triduum: postea in arena destilla: toties eundem processum repetendo; donec spiritus perfecte propria anima impregnetur; & corpus planè aridum super laminam candentem positũ fumum non edat. Tum corpori prius, vt artis est, calcinato superfunde octauam partem sui põderis spiritus animati: digere & destilla vt prius deinde da sextam partem spiritus: postea quintam: deinde quartam, toties cum quarta parte cõtinuando, donec maior pars corporis super laminam candentem posita in auras abeat. Tunc impletur quod Morienus dicit: Hoc quoque te scire decet: quod anima citò corpus suum ingrediatur, quæ cum corpore alieno nullatenus coniungi potest. Habito hoc signo, vasi superpone antinotorium: & da ignem cinerum spatio duorum dierum, donec sulphur vegetabile spondilibus vasis instar Talci adhæreat. Huius sulphuris accipe vnciam vnam. Spiritus puri vncias quatuor: misce & di-

gere per diem naturalem: deinde deſtilla in cineribus cum cohobijs: donec totum corpus adſcenderit. Tunc bis per balneum bulliens deſtilla & per ſexaginta dies circula: ſeparataque hypoſtaſi, quæ circa fundũ pelicani hærebit, ſerua quintam vini eſſentiam, ad infinitos morbos curandos, tam interius, quam exterius vſurpandam.

Poteſt etiam hæc quinta vim eſſentia breuiori tẽpore perfici. Imò cum hæc ederem: præſentibus & ſpectantibus quibuſdam meis diſcipulis, ſpatio quinque ſeptimanarũ eam abſolui: & auri tincturam rubicundiſsimam eadem elicui. Multæ enim ſunt viæ, teſte Gebero, ad vnum effectum & vnum intentum. Non poſſum autem nõ ſatis mirari hoc loco: ſpiritum vini Gallici aut Germanici circulatum, mirabilem illum odorem non referre, quem Baptiſta Porta vino Neapolitano tribuit his verbis: Tunc reſera oſculum, & ſi foras mirabilis fragrantia manabit, cui nulla res comparari

pot e-

poterit: ſcito te optimum finem aſſecutum. Quod ſi odor vel color non reſponderit: reclude vas, & iterum ad circulandum repone, donec ſignum aſſequaris. Atqui nec Italicus vini ſpiritus, teſte Rubeo, tali præditus eſt odore. Ille enim cap. ſecundo, ſectionis ſecundæ lib. ſui de Deſtillatione in hunc modum ſcribit: Vtinam viueret nunc vir chariſsimus, medicuſque præſtantiſsimus Euſtachius Sancto Seuerinas. Is enim, vt de me tacem, experientia ipſa, quam fecerat diligentiſsimè, teſtari poſſet, aquam ardentem, ſi non menſe ſolum integro, ſed duobus atque etiam tribus menſibus, imò vel anni toto circulo, vt Raimundus preſcribit, ageretur, ad id odoris ſuauitatiſq; nunquam peruenturam, ac potius calidiorem indies, acrioremque fieri, vt quiſquis velit, facile poteſt experiri & ratio ipſa ab igne ac motu deſumta perſuadet. Quamquam illud non abſolutè de aqua ardente ſimplici ac pura, vt poſteriores putarunt,

runt, Raimundus intellexit, sed de ea, in qua dissolutum fuerit metallicum corpus. Canone enim secundo primi libri sic scribit: *Hæc verò quinta essentia sic circulo acta & rectificata, non illo prædita odore fuerit, nisi corpus sit destillatum in ea.* Vnde cõstat: Portam talẽ quintam essentiam vini non ẽ fornacularis, sed ex scriptis Lullij & Rupscissæ male intellectis depromsisse.

CAPVT III.

De quinta Corallorum essentia.

PRimò destillãda est magna aceti acerrimi quantitas cum separatione Phlegmatis ad hoc opus inutilis, nouum singulis vicibus, super priores feces destillando, donec cẽtum circiter libras aceti per B. optime rectificati habeas. Requiruntur etiam triginta ac minus libræ corallorum rubeorum in puluerem subtilem redactorum: matratia item plu-

plurima, ampla: colli prolixioris: quibus ſingulis libra vna corallorũ imponatur, acetum paulatim & per vices, propter nimiam ebullitionẽ, affundendo; donec ad quatuor aut quinque digitos ſupereminceat; perque diem naturalem in B. digerendo; vſque dum acetum dulceſcat, & colore flauo imbuatur. Tunc menſtruum decantandum, nouum reaffundendum; donec diſſolubile diſſolutum fuerit. Menſtruum per B. ex cucurbitis altis repetatur: & ad ſingulas ſalis libras, vnciæ duæ aceti affundantur & deſtillentur: deinde vnciæ quatuor addantur: poſtea ſex: ita paulatim & per vices alendo, tandemque infuſiones de vncia in vnciam minuendo: donec acetum tam acre atque impoſitum fuit deſtilletur. Phlegma omne inſipidum deſtillatum aſſeruandum. Salia ſale aceti armoniaco imprægnata in vapore calentis balnei fermentanda: ibidem donec odor grauis, & color ater appareat relinquẽdo, quæ verę putrefactionis ſunt indicia.

dicia. Cũq; hęc apparuerint; ſales reſoluti calidè in retortas imponẽdi: eò quod ſtatim in frigido congelentur: & per balneum vaporoſum vel cineres phlegma ſeparandum, donec vapores ſiue fumi albi conſpiciantur. Tunc ceſſandũ: & deſtillatio per arenã in reuerberio clauſo continuanda, vſq; dum omnes ſpiritus egreſsi fuerint, & oleum rubrũ ſanguinis inſtar guttatim effluxerit. Feces ſeruandæ ad vſus, vt poſtea dicetur. Liquores omnes deſtillatos odoratiſsimos, & inſtar aquæ ardẽtis flammam concipientes pone in cucurbitas altas, & lento balnei calore à phlegmate ſepara: & loco frigido in vitris probè obturatis ſerua: poſtea igne aucto, phlegma vrge & ab oleo ſeparatũ ad vſus repone. Interim feces ſuperius reſeruatas calcina in Athanore, ſpatio quinq; dierum, in vaſe vndique clauſo, vti Geber. li. primo Summæ, cap. quinquageſimo, ſequentibus verbis docet: Modus itaq; calcinationis ſpirituum eſt: vt eis ad fixionem appro-

ximãtibus, administretur ignis successiuè & paulatim illum augendo ne fugiant: quousq; maximum eos tolerare ignem contingat, & vas eorum sit rotundum, vitreum, bene spissum, ne fundatur vndique clausum: & vt inquit Lullius, ne inflammationem præstet: Aut secundum Alphidium, spiritus dispergantur per aëra: quod quæritur enim non fieret. Postea vase aperto detur ignis per gradus: vt feces nigrę cineritij coloris fiant: à quibus sal eliciatur cũ phlegmate priori reseruato, quod filtretur & coaguletur, Postea eundem salem dissolue in phlegmate posteriori seruato; donec purum euadat, quod calore moderato exsiccari debet. Huius salis recipe vncias duas: digere in B. per triduum: postea leui B. calore destilla aquam insipidam quam seorsim serua. Reitera eandem operationem; donec sal in duplum sui ponderis, proprio sale armoniaco imprægnetur & augeatur, vel etiam paulo plus, vel donec spiritus tam acer aut fortis destille-

ſtilletur à ſuo ſale, atque cum impoſitus fuit. Tum ſal in vaſe idoneo pone ad ſublimandum in cineribus ſpatio duorum dierum dando ignē per gradus. Ita ſublimabitur ad latera vaſis materia candidiſsima, inſtar niuis, quæ dicitur verum Philōſophorum Sal Armoniacum. Huius Salis Armoniaci recipe vnciam vnam, Spiritus rectificati vnc. quatuor: Miſce ſimul & per biduum digere: deinde deſtilla cum cohobijs; donec totum lac cū ſpiritu adſcenderit. Hęc materia triuna circulari debet; donec exaltatio voto reſpondeat. Sic habebis quintam Corallorū eſſentiam: cæleſtem ſubſtantiam, ab omni fece terrena immunem, Mercurium vegetabilem & mineralem, Clauem Philoſophicam ſolidiſsima quęuis corpora aperientem, ad medicamenta virtutum admirandarum paranda, modo omnibus veris Philoſophis noto.

FINIS.